M. ATTILII

# SERRANI

## DE SEPTEM VRBIS ECCLESIIS

Vna cum earum Reliquijs, Stationibus, & Indulgentijs.

MVM

*Ad S. D. N. Gregorium XIII. Pont. Max.*



*ROMAE,*

*Apud Hæredes Antonij Bladij Impreſſores Camerales.*

*Anno Iubilæi. M. D. LXXV.*

Cum licentia Superiorum, & Priuilegio.

M. ATTILII

# SERRANI

## DE SEPTEM VRBIS ECCLESIIS

Vna cum earum Reliquijs, Stationibus, & Indulgentijs.

MVM

*Ad S.D.N. Gregorium XIII. Pont. Max.*



*ROMAE,*

*Apud Hæredes Antonij Bladij Impreſſores Camerales.*

*Anno Iubilæi. M. D. LXXV.*

Cum licentia Superiorum, & Priuilegio.

# S.MO D. N. GREGORIO. XIII PONT. MAX.

### M. ATTILIVS SERRANVS.

CVM mihi mandatum eſſet, vt quæ de ſeptem præcipuis eccleſiis vrbis Romæ in veteribus monumentis maxime illuſtria, ac memoratu digna reperiſſem, ea breuiter colligerem, & genere dicendi ſimplici, atq; ad captum rudium accommodato expoſita publicarem: iudicaui non alij hoc paruum ac tenue munuſculum offerendũ, quam tibi, Beatiſsime Pater, quem in terris caput Eccleſiæ ſuæ conſtituit Deus, partæ, ac redemptæ Chriſti filij ſui ſanguine: vt & eæ, de quibus in hoc libello agitur, ſanguine, ac cineribus inuictorum Chriſti martyrum illuſtratæ, ac no

*bilitatæ fuerunt. In his autem rebus perueſtigandis magnam mihi difficultatem obtulit non vetuſtas modo, ſed multo magis incuria, dicendum enim eſt, & negligentia quædam hominum in eis monumentis conſeruandis, quibus haud ſcio an quidquam vel vniuerſo nomini Chriſtiano, vel huic tantopere Deo caræ ciuitati glorioſius reperiri queat. Præſtiti tamen quod potui: & quamquam mihi nonnunquã, vt in denſiſſima nocte gradienti, traditioni inhærendum fuit, dedi tamen operam, vt omnia, quoad eius fieri potuit, confirmarem teſtimonijs eorum ſcriptorum, quibus partim ſanctitas, partim vetuſtas auctoritatem comparauit. Cumulatius autem videor huic muneri ſatisfacturus fuiſſe, niſi breuitas temporis obſtitiſſet: ſed properandum fuit, ut mos gereretur eorum ſtudio, ac cupiditati, quos hoc potiſsimum anno ex omnibus orbis Chriſtiani partibus ad recluſos per te indicto Iubilæo eccleſiæ theſauros, concurrere videmus. Interea, Beatiſsime Pater, aduolutus pedibus Sanctitatis tuæ, quæſo, obteſtorque, vt hoc deuotionis meæ exiguum pignus grato animo accipere digneris.*

*Deus nobis Sanctitatem tuam quamdiutiſsime incolumem ſeruet.*

SVMMI Pontificis diplomate cautum eſt, ne quis tam in Italia, quam extra eam, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, in terris uero S. R. E. mediate uel immediate ſubiectis, etiam ducentorum ducatorum auri, & amiſsionis librorum pœna, Marci Attilij Serrani librum de ſeptem Vrbis eccleſijs, uulgari aut latino ſermone intra proximum decenniũ abſque ipſius auctoris, & impreſſorum licentia imprimat, ſeu alicubi impreſſum uenale habeat.

## AVCTORES ECCLESIASTICI, præter ſacroſancta Concilia, & Summorum Pontificum epiſtolas, ex quorum fontibus hæc hauſimus.

*Adonis epiſcopus Vienneñſis.*
S. *Adrianus Papa.*
*Aegeſippus.*
S. *Ambroſius.*
*Anaſtaſius bibliothecarius.*
*Ancirana Synodus.*
*Arator poeta.*
*Arnobius.*
S. *Artemius.*
S. *Athanaſius.*
S. *Auguſtinus.*
V. *Beda.*
*Blondus.*
*Bonifacius viij.*
*Calcedoneſis Synodus.*
S. *Clemens Romanus.*
S. *Damaſus Papa.*
*Ennodius Diaconus Romanus.*
S. *Epiphanius.*
*Euſebius Cęſarienſis.*
*Fauſtinus presbyter ex bibliotheca Vaticana.*
*Ferculphus epiſcopus Lexouienſis.*
*Gaius.*
*Galla Placidia.*
*Gennadius.*
*Georgius Cedrenus.*
*Gregorius Nazianzenus.*
*Gregorius Romanus.*
*Gregorius Vndecimus.*
*Gregorius Thaumaturgus.*
*Gulielmus Anglicus ex bibliotheca ampliſſimi Cardinalis Sirleti.*
*Gulielmus Durandus.*
S. *Hieronymus.*
*Innocentius* III. *ex bibliotheca Vaticana.*
*Ioannes Baptiſta Platina.*
*Ioannes Diaconus, qui S. Gregorij uitam ſcripſit.*
S. *Ioannes Chryſoſtomus.*
*Ioannes Diaconus Lateranenſis ex bibliotheca Lateranenſi.*
*Iornandes.*
S. *Ireneus.*
S. *Iuſtinus Martyr.*
*Lateranẽſis Synodus prima.*

*Sub*

*Sub Iulio* I. *ſecunda & tertia ſub Symmacho, quarta ſub Gregorio magno, quinta ſub Martino* I. *ſexta ſub Nicolao* II. *Nona ſub Alexãdro* III. *decima ſub Innocentio* III. *vndecima, & vltima ſub Iulio ij. et Leone x.*

*S. Leo Papa.*

*Liberij acta.*

*Licinia Eudoxia.*

*Maffeus Vegius ex bibliotheca eccleſię S. Petri*

*Marcellinus presbyter ex bibliotheca Vaticana.*

*Martinus pęnitentiarius.*

*S. Maximus Taurinenſis.*

*Nicęna Synodus* I. *& ij.*

*Nicephorus.*

*S. Nicolaus Papa* I.

*Nicolaus* III.

*Oroſius.*

*Pandulphus oſtiarius.*

*S. Paulinus.*

*Paulus Diaconus.*

*Petrus Manlius ex bibliotheca Vaticana.*

*Procopius.*

*Prudentius poeta.*

*Ptolemęus Lucenſis.*

*Romana Synodus prima ſub Hilario, tertia, quarta, & quinta ſub Symmacho, ſeptima ſub Gregorio magno, octaua ſub Gregorio* II.

*Rituale Romanũ antiquiſſimum ex bibliotheca Achillis Statij Luſitani*

*Ruffinus presbyter.*

*Seuerus Sulpitius.*

*Socrates ſcholaſticus.*

*Sophoronius epiſcopus Hieroſolymitanus.*

*Sozomenus.*

*Tacitus.*

*Tertullianus.*

*Theophanes.*

*S. Theodoretus.*

*Theodorus Balſamo.*

*Theodorus Lector.*

*S. Thomas de Aquino.*

*Valentinianus.*

*Vitę ſanctorũ ex uetuſto manuſcripto codice in bibliotheca Achillis Statij.*

*Vitę ſanctorũ apud Lipomanum.*

*Zonara.*



# M. ATTILII *SERRANI*

## DE SEPTEM VRBIS ECCLESIIS.

QVINQVE ſunt in vrbe eccleſię, quæ ob inſignem ædificiorum magnitudinem ex omni antiquitate baſilicæ vocantur, Lateranenſis, Vaticana, S. Pauli via Oſtienſi, S. Mariæ maioris, S. Laurentij extra urbis mœnia, vt & aliunde conſtat, & ex Epiſtolis Innocentij tertij, quæ in Vaticana bibliotheca adſeruantur. Eædem patriarchales dicebantur; quod ex eis Lateranenſis quidem romano pontifici, qui & patriarcha aliquando vocatus eſt, ad habitationem attributa erat, ceteræ ad hoſpitium, ac diuerſorium alijs quattuor reipublicę chriſtianę patriarchis, Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, qui poſt romanum ex ſacrorum conciliorum decretis principem in eccleſia locum obtinebant. Quod ideo factum eſt, vt ſi quando contigiſſet generalia concilia Romæ celebrari, quibus intereſſe hi quattuor tenebantur, aut alia quauis de cauſa ad urbem accederent, ſuas quiſq; ibi ſedes haberet. Eſt enim Roma communis omnium patria, quo cum ex toto terrarum orbe ante

quam adeo miſerabiliter chriſtiana reſpublica afflicta eſſet, innumeræ gentes confluerent, conueniens fuit, aptumque etiam ad conciliandos illarum animos, vt omnes quo confugerent, haberent vbi ſuum agnoſcerent ducem, ac paſtorem. Fuerunt præterea vnicuique harum quinque eccleſiarum attributi miniſtri, qui in eis ſacra facerent. Atque in Lateranenſi quidem baſilica ſtatutũ erat, vt a ſeptem epiſcopis cardinalibus quotidie viciſſim ſuper altari beati Petri celebraretur, in alijs vero idem perageretur a presbyteris cardinalibus, vt auctores ſunt Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Stephani Tertij, Ptolemæus Lucenſis, Martinus Pænitentiarius in chronica ſummorum Pontificũ. Hinc, præter indulgentias a diuerſis pontificibus illis conceſſas, factus eſt ad eas frequentior populi concurſus, cui præcipue poſtea adiungitur, quod actis ab inuictis Chriſti martyribus de tyrannis, ac de ipſa morte glorioſiſsimis triumphis in his ſanctiſsimis baſilicis ſanctorum corpora honoris, ac venerationis cauſa poſita ſunt; cumq; veteri maiorum exemplo, vt ſuo loco dicemus, qui illas viſere conſtituiſſent, a baſilica ſancti Petri inciperent, inde ad Diui Pauli, mox ad Lateranum iter arriperent, conſuetudine receptum eſt non præterire eccleſiam ſancti Sebaſtiani ob venerãdum diui Caliſti cœmeterium tot ſanctorum corporibus nobilitatum, & ob ſacras catacumbas perfugia quondã eorum quibus pro Chriſto ab hominum conſpectu fugiendum erat. Pari quoque ratione dum a Lateranenſi ad diui Laurentij baſilicam tendebatur, eccleſia ſanctæ Crucis in Hieruſalem ſanctiſsimis





reliquijs ornata ſeptima adiuncta fuit; atque ita ſeptenarius numerus completus eſt, ne tam religioſo inſtituto myſterium deeſſe videretur, quod is ſãctiſsimus habetur numerorum omnium, quos in ſacris literis legimus. Idq; maiores noſtros etiam eo feciſſe credendum eſt, vt dum chriſtiana pietas in laudabili viſitandarum eccleſiarũ opere ſe exercet, poſt grates Deo perſolutas, venerationemq; ſanctorum, ac præteritorum errorum dolorẽ (hoc namque propoſito, ac conſilio ſunt viſitandæ eccleſiæ) meditando miſeriam humanæ vitæ, in qua cum ſumus, peregrinamur a Domino, daretur nobis occaſio ob ſeptenarium eccleſiarum numerũ ſeptem Spiritus ſancti chariſmata humilibus precibus, ſupplicibusq; obſecrationibus poſtulandi, quorum auxilio ſequi eorũ veſtigia poſſemus, qui tanquam cæleſtis patriæ ciues hic ciuitatem permanentem non habentes, dignitatum, rerumque omnium amiſsione magnis laboribus, multoque ſudore, ac ſanguine ipſo futuram ſibi inquiſiuerũt. Et hæc generatim de ſeptem eccleſijs dicta ſint, de quibus nominatim dicere iam aggrediar. Hebr. 13. C.

## *De Eccleſia S. Petri in Vaticano.*

QVEMADMODVM non ſine diuina prouidentia factum eſſe cenſendum eſt, quod Dei filius pro hominibus homo factus, & pro illis moriturus, vt manifeſtius fieret myſterium, nobiliſsimam omnium urbium, quæ in oriẽte erant, ad hoc elegit, atque crudeliſsima morte

ſalutis noſtræ opus perficiens, ſtatuit, ne locus etiã
vbi illud peragẽdum erat, ignominia careret, quo
maior inde in humanũ genus agnoſceretur amor,
neque enim erat urbs vlla Hieroſolyma nobilior,
ac celebrior, aut cruce mors vlla turpior, aut mon
Matt 5.B te Caluariæ locus vllus ignominię plenior. Ita ſane
ne ſub modio fidei lucerna lateret, ſed ſuper can-
delabrum omnibus, qui in domo ſunt luceret, cum
Chriſti uicario ſedes deſtinanda eſſet, Petrus apo-
ſtolorum princeps, cui, & eius ſucceſſoribus tanta
imperij moles regenda, gubernandaq. tradita erat,
Romam principem omnium terrarum ciuitatem
1.Pet.1.A relicta Antiochia, peragratis Ponto, Galatia, Cap-
podocia, Aſia, & Bithynia ex omnibus maxime de
legit, vbi cum Simonem magũ ſub Claudio, Pau-
lo etiam adiuuante expugnaſſet, vt maiori conſtan
tia, quæ docuerat, confirmaret, eodem genere mor
tis, quod Chriſtus paſſus fuerat, ſub Nerone mor-
tuus eſt, ſacroſanctum cruore ſuo faciens Vaticanũ
a lib.17. montem illum, quem infamem, ut teſtis eſt [a] Taci
tus, appellabat antiquitas. Quod autem diuus
Petrus, ut ueterum auctoritate comprobetur ue-
ritas, Romam venerit, Simonemque magum ex-
b Cõtra gẽtes l.2. nõ lõge à principio. pugnauerit, [b] Arnobij hæc ſunt verba. Ipſam apud ,,
dominam Romã, in qua cum homines ſint Nu- ,,
mæ regis artibus, atque antiquis ſuperſtitionibus ,,
occupati, non diſtulerunt tamen res patrias linque ,,
re, & ueritati coaleſcere chriſtianæ. Viderãt enim ,,
curſum Simonis magi, & quadrigas igneas Petri ,,
ore difflatas, & nominato Chriſto euanuiſſe. Vide- ,,
rant, inquam, fidentem dijs falſis, & ab eiſdẽ me- ,,
tuentibus proditum pondere præcipitatũ ſuo cru- ,,





,, ribus iacuiſſe præfractis, poſt deinde perlatum Brun
,, dam cruciatibus, & pudore defeſſum ex altiſsimi
,, culminis ſe rurſum præcipitaſſe faſtigio. Quæ o-
,, mnia vos neque ſcitis, neque ſcire uoluiſtis, neque
, unquam vobis neceſſaria indicaſtis. Quod autem
ſub Claudio id geſtum ſit, [a] D. Iuſtinus martyr Ro a In apologia 2. pro chriſtianis.
manos alloquens aperte demonſtrat his verbis.
,, Addo tertium, quod poſt Chriſti aſcenſionẽ ijdem
,, genij ſubornarunt quoſdam homines, qui ſe pro
,, Dijs gererent, qui honores etiam apud vos conſe-
,, cuti ſunt, tantum abeſt, vt pulſi fuerint, ſicut Simo b Hiſtoriæ ſacræ lib.2
,, nem quendã Samaritã ortum a Gitta oppido, qui
,, ſub Claudio Cæſare ſubnixus ope dæmonum, & c Conſt. apoſt. lib.6. cap.9.
,, fretus magicis artibus in hac vrbe regia Deus eſt
, habitus. Quod diuus Paulus miraculo interfuerit,
& pars magna illius fuerit, ita ſcribitur a [b] Seuero d In apologia aduerſus gentes
, Sulpitio. Etenim tum illuſtris illa aduerſus Simo-
,, nem Petri, & Pauli congreſsio fuit, qui cum magi e Lib. 1. cap.20.
,, cis artibus, ut ſe Deum probaret, duobus ſuffultus
,, dæmonijs euolaſſet, orationibus apoſtolorũ fuga- f Eccleſ. hiſtor. lib.2. cap 13.
,, tis dæmonibus delapſus in terram populo inſpectã
, te diſruptus eſt. Quę omnia ſi quis diffuſius cogno g Tomo 2. lib.1.
ſcere deſiderat, legat [c] Clemẽtem romanum, [d] Ter
tullianum, [e] Ireneum, [f] Euſebiũ, [g] Epiphanium, [h] di h Epiſt. 2. ad Sempronianũ Nouatianum circa medium.
uum Pacianum, [i] diuum Ambroſium, [k] diuũ Au-
guſtinum, & alios, quos ob breuitatem omitto, ſa
tis exiſtimans a me per hos probatiſsimos aucto-
res confutatum eſſe mendacium eorum, qui & a i Tom. 3. ſer. 66. de ſanctis.
ſanctorum patrum lectione alieni, & perfidia du-
cti hoc negare non uerentur. Quod vero diuus Pe- k Tomo 6. lib. de hæreſibus.
trus cruci affixus fuerit, & hoc ſit inuerſis ueſtigijs,
vt grauiori afficeretur dolore, & cũ eo diuus Pau-

lus gladio percuſſus martyriũ conſũmauerit, [a] Hegiſippus antiquiſsimus ſcriptor temporibus Apoſtolorum uicinus inquit. Petrus in vrbem redijt, captusq. a perſecutoribus cruci adiudicatus popoſcit, ut inuerſis ueſtigijs cruci affigeretur, quod indignus eſſet, qui ſimili modo crucifigeretur, ut paſſus eſt Dei filius; quo impetrato uel quia ita debebatur ut Chriſtus prædixerat, uel quia perſecutor non inuitus indulget pœnarum incrementa, & ipſe, & Paulus alter cruce, alter gladio necatus eſt. Et [b] Tertullianus, qui eodẽ tempore ſcripſit. Si Italiæ adiaces, ait, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas pręſto eſt ſtatuta felix eccleſia, cui totam doctrinam apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, ubi Petrus paſsioni dominicæ adæquatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur. Quibus non diſsimilia dicũtur a [c] Diuo Hieronymo, [d] Ambroſio, [e] Auguſtino, [f] Leone, [g] Maximo, ac [h] uenerabili Beda, [i] Nicephoro; & [k] Zonara. De loco, hoc eſt de Vaticano, quomodo ibi mortuus, & ſepultus fuerit, Gaij grauiſsimi ſcriptoris uerba ab [l] Euſebio citantur, quæ ſunt hæc. Ego, inquit, habeo trophæa apoſtolorum, quæ oſtendam. Si enim procedas uia regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut uia Oſtienſi, inuenies trophæa defixa, quibus ex utraque parte ſtatutis Romana communitur eccleſia. Diuus [m] Hieronymus ait. Petrus Romę ſepultus in Vaticano iuxta uia triumphalem totius vrbis veneratione celebratur. [n] Damaſus Papa tradidit ab Anacleto, qui tertius poſt beatum Petrum pontificatum rexit in Vaticano, ubi ipſe ſepultus fuit, fuiſſe conſtructam, & compoſitam illius me-

moriam,

a Lib. 3. cap. 2.
b De præſcriptionibus aduerſus hæreticos circa ſinem.
c Tomo. 1. de Viris illuſtribus.
d Tomo. 3. ſerm. 66.
e Tomo 10. ſerm. 4. de ſanctis.
f Ser. 1. in feſto. S. S. Petri & Pauli.
g Homilia 3. in eodẽ feſto.
h Libro de ſex ętatibus mundi de imperio Neronis.
i Eccl. Hiſt. lib. 2. c. 36.
k Tomo. 2. in uita Neronis.
l Eccl. Hiſt. lib. 2. c. 25.
m Tom. 1. lib. de viris illuſtribus.
n Lib. põtificali in Anacleto pp.



moriam, his enim utitur uerbis. Credam ego ab Anacleto oratorium fuiſſe conſtructum, non eccleſiam, ut nonnulli dixerunt. Nam ante Conſtãtinum eccleſias erigendi Chriſtianis facultas non erat, in quo loco tam diu beati Petri corpus iacuit, quoaduſque inde ad catacumbas iuxta cœmeteriũ Calliſti uia Appia, ad ſecundum ab vrbe lapidẽ, cum corpore beati Pauli aſportatum fuit, ut [a] Diuus Gregorius affirmat his uerbis. De corporibus uero diuorum apoſtolorũ quid ego dicturus ſim, dum conſtet, quia eo tempore, quo paſsi ſunt, ex Oriente fideles uenerunt, qui eorum corpora ſicut ciuium ſuorum reportarent, quæ ducta uſque ad ſecundum urbis miliarium in loco, qui dicitur ad Catacumbas collocata ſunt. Sed dum ea exinde leuare omnis multitudo conueniens niteretur, ita eos uis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque diſperſit, ut talia demum nullatenus attentare præſumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora, qui hoc ex domini pietate meruerunt, leuauerunt, & in locis, quibus nunc condita ſunt, poſuerũt. Hactenus ſanctus doctor. Vbi quis ueriſimile non arbitretur, quando tyrannorum ſęuitia Chriſtianis plena timoris erant omnia, & eccleſiæ nuſquam conſiſtere, aut conuentũ agere, niſi occulte dabatur, a ſanctiſsimis priſcis patribus ſacrificatum eſſe? quod ſi in alijs locis id factum eſſe legimus ſuper ſepulchra aliorum martyrum, quanto magis hic quoties illuc quando ubique luctus, ubique pauor, ubique plurima mortis imago a Dei cultu deterrere uidebantur, fideles parentes pro Chriſto amiſsis filijs, filios amiſsis pa-

a Tomo 2. lib. 3. Regiſtri epi. 30.

 renti-

rentibus, viros vxoribus, vxores viris confugiſſe pie credendum eſt, ibique effuſis lacrymis finem tantis miſerijs per apoſtolum, perque illas ſanctas reliquias a Deo finem imponi ſuppliciter petijſſe? quoties illuc poſt turbulentam tempeſtatem dignitatum, ac diuitiarum iacturam paſsi tamquã in portum conſolationis ſe recipiebant, quorum tandem preces, atque uota exaudiens Deus, lacrymarum, dolorumq. miſeratus, ac ſi noctem in clariſsimam diem, tempeſtatem in ſerenitatem uertiſſet, & quaſi rurſus ab acerbiſsimo ſeruitutis iugo ſub impio Pharaone in Aegypto iſraeliticũ populum liberaturus eccleſiæ ſuæ multis, magniſq. calamitatibus conflictatæ, pari quidem potentia, ſed maiori nunc miſeratione reſpirandi facultatẽ fecit, miſericordiam in hoſtes exercens illos ad ſe mirandum in modum conuertens. Nam Diocletiano, & Maximiano imperatoribus e medio ſublatis, a quibus immani crudelitate in oriente, & occidente res eccleſiæ uaſtatæ fuerant, Maximino item poſt illos diuina uindicta extincto, qui implacabili furore in Chriſtianos maleficia, & ſtupra accumulauerat, Conſtantinus Conſtantini imperatoris ex Helena filius imperium obtinere cœpit. Huic aliquando cum Maxentio tyranno, qui Romæ, & in Italia rerum potiebatur, prope urbis mœnia dimicaturo, cum eum ſtatuiſſet Deus beneficijs, ac ſignis ad ſe allicere, & per illum pacẽ, atque tranquillitatem eccleſiæ largiri, ſignum ſanctiſsimæ crucis in cælo oſtenſum eſt his litteris, futuram uictoriam de hoſte & prænuntians ἐν τούτῳ νίκα in hoc uince. De quo tam illuſtri miraculo omnes



omnes fere ſcriptores inter ſe conuenire uidentur, ualidius tamen teſtimonium cum ſemper ſit habẽdum eorum, qui uiderunt, quam qui audierunt, quid de eo [a] beatus Artemius dicat, audiamus, qui fuit dux copiarum inuictus, ſummæ apud Conſtãtinum auctoritatis, & in exercitu contra Maxentium primum pilum duxit, ita Iulianum Apoſtatã alloquens ait. Conſtantino contra Maxentium bellum difficillimum aggredienti ſignum crucis apparuit in cælo media die ſuper ſolem radijs coruſcans litteris ſydereis uictoriam prænuncians. Nos enim qui bello interfuimus, ſignum uidimus, litteraſq. legimus, totus item exercitus ſpectator ſigni fuit, multiq. hodie teſtes ſunt in exercitu tuo. Hæc ſanctus Artemius, cuius in his, quæ ad Conſtantinum attinent, auctoritas nulla maior eſſe poteſt. Verum cum parum Dei beneficium poſt partam uictoriam agnoſceret Conſtantinus, ut ex arcu Romæ illi erecto conſpicitur, in quo nullum crucis ueſtigium extare uidemus, neque uerbũ de ſigno fieri in inſcriptione, ex eis ſe eſſe demonſtrãs, qui non beneficijs, ſed flagellis ab impietate deflectuntur, aliam uiã aggrediens Deus, fœdiſsimo lepræ morbo illum percuſsit, adeo ut curatio a medicis deſperaretur. Cumq. Iouis capitolini ſacerdotes ſup hoc conſulerentur, reſponſumq. eſſet minime priſtinam ſanitatem eum recuperaturum, niſi ſe in ſanguine infantium adhuc tepente lauiſſet, ipſeq. id facinus naturali quadam pietate exhorreſceret, nihil ei reliquum erat, niſi ut miſerabili cõditione uitam ageret, dum extremum clauderet diem, niſi Deus, cuius uirtus tunc hominibus maxime

[a] In uita b. Artemij cuius exẽplaria græce extant ĩ bibliotheca vaticana.

ximc perſpicitur, cum ſe omni humano auxilio de-
ſtitutos ſentiunt, iterum in illum clemens, atque
benignus miſericordia ſua uſus eſſet. Sequenti ita-
que nocte, qua puerorum cædis execrandum ſce-
lus deteſtat⁹ erat, diuinitus in ſomnis uiſus eſt duos
viros uidere, qui dicerent ſe eſſe Petrum, & Paulũ
apoſtolos Chriſti, ac iuberent, ſi uellet animi,
& corporis ſanitatem adipiſci, & dignus æterna
vita effici, ut Silueſtrum pontificem in Soracte mõ
te latitantem accerſeret. Tum imperator a ſomno
excitatus fidem uiſioni adhibens, miſit ſtatim, qui
pontificem ad ſe adducerent, a quo cum multa de
religione audiuiſſet, imaginesq. apoſtolorũ, quos
in ſomnis uiderat, ab eodem ſibi oſtenſas agnouiſ-
ſet, inſtitutus omnibus his, quæ chriſtianæ fidei
ſunt, noſtris myſterijs initiatur, & baptizatur.
De quo cum multos diu dubitaſſe ſciam, alios ue-
ro hiſtoriam ueluti fabulam omnino impugnaſſe,
ne dum breuitati nimium ſtudeo, ea negligere ui-
dear, quæ firmitatem religionis noſtræ oſtendunt,
mearum partium eſſe arbitror, id grauiſsimorũ
virorum teſtimonijs comprobare. Primum igitur
de Conſtantini lepra, & de uiſione in ſomnis apo-
ſtolorum ſcribunt [a] Nicephorus, & [b] Zonara; qđ
autem Romæ a ſancto Silueſtro baptiſmum acce-
perit, præter hos [c] Theophanes, qui ante ſeptingen
tos annos ſcripſit, [d] Theodorus Balſamo Conſtan
tinopolitanus, Georgius Cedrenus, græci omnes
fere ſcriptores aperte affirmant, quorum teſtimo-
nia eo firmiora eſſe debent, quo ab aduerſarijs illa
accipimus, nemo enim qui eccleſiaſticas legerit hi-
ſtorias, ignorat quantum aduerſus romanæ eccle-
ſiæ

a Eccl. Hiſt. lib. 7. cap. 33.
b Tomo. 3. in Conſtantino.
c In Hiſtoria ab orbe condito cuius exẽplaria græce exſtant in bibliotheca Vaticana.
d In Conſtantino.



ſię dignitatem de honoris prerogatiua Græcia ſem
per contenderit. Ex latinis uero inter alia habe-
mus teſtimonium ſatis probatum [a] Nicolai primi,
qui licet aliquantulum a Conſtantini temporibus
abſuerit, tamen ad græcum Michaelem imperato-
rem hæreticum ſcribens, a quo facile reijci pote-
rant uera, ſi falſi aliquid illis admiſcuiſſet, appellat
„ Silueſtrum magni Conſtantini baptizatorem.
Adrianus uero qui multo ante Nicolaum, & alios
ſcriptores, quos nominaui, uixit, in ſecundo con-
cilio Niceno, quod ex generalibus ſeptimum eſt,
contra imaginum oppugnatores Conſtantino, &
Irene matre imperatoribus habitum coram uni-
uerſo concilio ſuper imaginum ueneratione ex hi-
ſtoria ſancti Silueſtri protulit teſtimonium, cuius
uerba hic ſubiungere decreui, tum quia nihil ex
his quæ dixi ab eo prætermiſſum eſt, tum, ut eorũ
ora obſtruam, qui tot argumentis huius rei proba
tam ueritatem adhuc oppugnare nituntur, inquit
„ enim ſanctus [b] pontifex. Cum aliquando Conſtã-
„ tinus imperator per noctem ſomnum caperet, ecce
„ beati apoſtoli Petrus, & Paulus dormienti aſtite-
„ runt, dicentes. Quoniam execratus es o impera-
„ tor puerorum ſanguinem effundere ob ægritudinẽ
„ tuam, a Chriſto miſſi ſumus, quo ſanitatem ti-
„ bi afferamus. Audi igitur noſtrum conſilium, &
„ ea, quæ tibi præcipimus, fac impleas. Principio
„ Silueſtrum Epiſcopum, qui perſecutionis tuæ gra-
„ tia Roma exulat, & in Sorapæno monte (ita enim
„ habent uetuſta exemplaria) clam in ſpeluncis cum
„ Clero latitat, cura ad te uocari, is tibi lauacrum pie
„ tatis, in quo lauaberis, præparabit, dabiturq. tibi
non

a In epiſtola ad Michaelẽ imperatorẽ.
b Conciliorũ tom. 3. act. 2. Nicenæ ſynodi. 2.

non modo lepræ, uerum omnium morborum ſanitas. Cumq. præclaris iſtis bonis fueris recreatus, confeſtim iubeto per omnia loca romanorum eccleſias reſtaurari, te uero ipſum purum, abiecto idolorum cultu declarabis, cultumq. ſoli Deo adorando exhibeas, iuxta illius uoluntatem omnia tua conſilia diſponens. Imperator itaque e ſomno excitatus omnes ſuos aulicos quicunque in palatio erant, conuocauit, quodq. per ſomnium illi oſtenſum fuerat, expoſuit, nec mora aliqua, ſed confeſtim miniſtros ſuos ad Sorapænum montem, in quo beatus pater Silueſter cum clero uacans lectionibus ſacrorum librorum latitabat, miſit. Iam cum undique uideret milites circumcingentes montem inquirendi cauſa, exiſtimans quod ad martyrium raperetur, clerum ita affatus eſt. Ecce nunc tempus expectatum, ecce nunc dies ſalutis. Egreſſo autem de ſpelunca, narrauerunt milites qua de cauſa quæreretur. Cum quibus ad imperatorem trahens ſecum comites tres presbyteros cum duobus diaconis, profectus, cum imperatorem uidiſſet, Pax tibi, inquit, o imperator, ſurſum de cælo, & victoria. Imperator itaque hilari oculo, & tranquillo animo illius uerba audiens, quæcunque ſibi per ſomnia fuerant reuelata beato Silueſtro expoſuit. Poſtquam autem finem narrationis feciſſet, quæſiuit imperator, quales nam arbitraretur eſſe deos, Petrum, & Paulum, quos uiderat. Reſpondit pater, nequaquam eſſe deos, ſed ſeruos, & diſcipulos domini noſtri Ieſu Chriſti, quos in hoc elegiſſet, ut omnes gentes conuerteret, ut crederent in eum. Hæc cum audiſſet imperator, percontatus

eſt,



eſt, num alicubi eſſent hiſtoriæ illorum. Mox beatus Silueſter per diaconos afferri, quas habebat apoſtolorum imagines, iuſsit, quas cum imperator aſpexiſſet, clara voce proclamauit, Hi ſunt, quos per viſum cōſpexeram, neque amplius incredulus ſum, paretur lauacrum in meam ſalutem. Constructo autem lauacro cum ſacro rore tinctus eſſet, confeſtim eſt ſanitate priſtinæ reſtitutus. Poſſunt ne clariora dici his, quæ audiuimus? quibus quantum auctoritatis ſit tribuendum, tum a dignitate ſcriptoris vna cum rerum cognitione, quam eos ad quos hæc ſcribuntur, habuiſſe credendum eſt, tum a vetuſtate ſatis per ſe colenda, cuius ſemper magna equidem vis apud omnes fuit, nobis non ſolum cōfirmari, ſed etiam perſuaderi poterit. A ſummo enim, ac ſanctiſsimo pontifice ad vniuerſale concilium ſcribitur, vbi a trecentis quinquaginta patribus ex omnibus orbis partibus congregatis de his a quibus chriſtiana reſpublica pendere videbatur, agendum erat, vbi tot doctiſsimis, ac ſanctiſſimis viris adſtantibus nihil quiſquam adferre poterat, niſi quod verum eſſe, conſtaret. Adrianus autem, ſi de vetuſtate quærimus, ante octingentos annos floruit poſt Conſtantinū quadringētos plus minus. Et ne his omnibus conceſsis relinquatur alicui dubitandum, ſeu malitioſe calumniandum, hæc a latinis nunc confingi, ſeruatur vſque in hunc diem antiquiſsimum eorum exemplar in bibliotheca uaticana e latino in græcum conuerſum. & hæc de baptiſmo Conſtantini dicta ſint, vt magis rei veritas eluceat. Reliquum eſt, vt videamus quid poſt ſuſceptam fidem egerit pius imperator, vt ad

ea,

ea, quæ a principio inſtituimus de ſeptem eccleſijs ſcribenda deueniamus. Nam ſanctus Adrianus de quo iam diximus in eodem loco, quem etiam adduximus, [a] Nicephorus, & [b] Zonara, & [c] Socrates Scholaſticus, & beatus [d] Beda optata ſecuritate eccleſiæ præſtita, clauſis gentilium templis, ſtatuis, quæ in illis erant publicatis munita ſanctiſsimis legibus Chriſtiana republica tradunt ſanctiſsimũ principem, ne immortalis beneficij ullo vnquam tempore memoriam deleret obliuio, amplitudinis templa Deo, & ſanctis eius ſacra conſtruxiſſe, inter quæ Romæ maxime omnium Vaticanum æternæ memoriæ beati Petri erectum centum marmoreis, ſublimibusque columnis ſplendet, ad cuius fundamenta iacienda octauo die poſt ſuſceptum baptiſmum imperator veniſſe fertur, ibique depoſito diademate, & humi iacens vim lacrymarum profudiſſe, ſumpto poſtea ligone, ac bidente terram eruere primus cœpiſſe, obq. duodecim apoſtolorũ reuerentiam duodecim terræ corbes inde aſportaſſe. Quod templum poſtquam diuus Silueſter xiiij. Kal. Decembris dedicauit, imperator ipſe maximis ornamentis illuſtrauit, atque ampliſsimis diuitijs auxit, vt [e] Damaſus eſt auctor, cuius inſignis fabrica, quam fuerit admirabilis, ex diui Paulini epiſcopi Nolani epiſtola ad Alethium ſcripta colligitur, a quo cũ poſt mortẽ Ruffinę vxoris Paulæ nobiliſsimæ feminæ filiæ conuiuium pauperibus vrbis in baſilica ſancti Petri factum eſſet, ſanctus vir in eo deſcribendo ita ſcribit. Quale Deo, & ſanctis, angelis eius de hac tua (vt dici ſolet) pera ſpectaculum ſacer editor exibeas? quanto ipſum Apo-

ſtolum

a Eccl.Hiſt. lib.8. ca.4.
b Tomo.2. in Conſtãtino.
c Eccl.Hiſt. lib.1.cap.3
d Tomo.2. de ſex ætatibus mũdi.
e Lib.Pontificali in Diuo Silueſtro.



ſtolum attollebas gaudio, cum totam eius baſilicã denſis inopum cœtibus ſtipauiſſes, vel qua ſub alto ſui culminis medijs ampla laquearibus longum patet, & apoſtolico eminus ſolio coruſcans ingredientium lumina ſtringit, & corda lætificat, vel qua ſub eadem mole tectorum geminis vtrinque porticibus latera diffundit, quaue prætento nitens atrio fuſa veſtibulo eſt, vbi cantharum miniſtram manibus, & oribus noſtris fluenta ructantem faſtigiatus ſolido ære tholus ornat, & inumbrat, non ſine myſtica ſpecie quattuor columnis ſalientes aquas ambiens. decet enim ingreſſum eccleſiæ talis ornatus, vt quod intus myſterio ſalutari geritur, ſpectabili pro foribus opere ſignetur. Nec mirari quiſquam debet diuum Paulinum locum canthari, quem nunc octo porphireticis columnis ornatum cernimus, ſcribere quatuor tantum ambiri, namq; quemadmodum hodie extat a beato [a] Symmacho Papa factus fuit, porticum uero marmoream nunc magna ex parte dirutam quadringularis formæ poſt Symmachum Domnio. I. tanta munificentia ornauit, ut Paradiſus appellaretur, de quo loco ita [b] Paulus Diaconus Domnio pontifex Romanæ eccleſiæ locum, qui Paradiſus dicitur ante baſilicam beati Petri candidis lapidibus marmoreis mirifice ſtrauit. Nũc de porticuum uſu pauca dicam; maxime cum omnes ſeptem eccleſias porticibus ornatas eſſe uideamus, quibus non parum illarum antiquitas probatur. Sciendum eſt igitur chriſtianæ diſciplinæ olim uſitatũ fuiſſe, ſicut quinque hominum genera erant, pænitentium, audientium, catechumenorum, fidelium, & clericorum,

a Lib. Pontificali in uita Symmachi Papæ.
b lib. 5. cap. 11.

corum ; ut itidem quinque in eccleſijs eſſent loca, ſingula ſingulis generibus aſsignata, quod ex anti quorum canonum conſtitutionibus patet, ubi mo do de uno, modo de altero fit mentio, quorum cũ præclarum [a] Gregorij Thaumaturgi Neocæſarienſis epiſcopi, antiquiſsimi, atque ſanctiſsimi uiri teſtimonium nactus ſim, hic illud ſubiungam. προσκλαυσις inquit extra portas Oratorij eſt, ibi peccatorem ſtantem à fidelibus, qui ingrediuntur flagitare oportet, ut pro ſe orent. ακρόασις intra portam eſt, in loco, quem νάρθηκα uocant, ibi ſtat peccator poſt catechumenos, & inde egreditur. Ait enim, ubi audierit ſcripturas, & doctrinas eijciatur, nec dignus habeatur, qui precibus interſit. Υπόπτωσις intra portam templi, ut ſtans cum catechumenis egrediatur. Σύστασις ut ſimul ſtet cum fidelibus, & non exeat cum catechumenis. [a] Μέθεξις ad ſanctificationem pertinet. Porticus ergo, ut intelligamus nihil in eccleſijs carere myſterio, erat primus locus penitentium, de alijs uero ſuo loco dicemus. Et quoniam rationem conſuetudinum reddere de his, quibus ad maiorem pietatem mouemur, ſemper utiliſsimum eſſe arbitratus ſum, antequam eccleſiam ingrediamur, dicam quid ſentiam de eo, quod fere ab omnibus in atrio uaticanæ eccleſiæ ſeruari uidetur: quo cum peruentum eſt, ſolent pij ac deuoti uiri, & mulieres humili agitatione, motuque corporis uertentes ſe ad orientẽ uenerari Chriſti imaginem, & apoſtolorum inter undas fluctuantium. Quo quidem obſequij genere imagines quis uere chriſtianus uenerandas non iudicabit ſecundum tot conciliorum patrumue firmiſsimas ſanctiones

[a] De ijs qui in captiuitate idolis ſacrata cõmedũt, epiſtola canonica cap 9.

al. μέθεξις.





ctiones, ſed cur ibi magis, quam alibi id agatur, nobis quærendum eſt: cuius rei hanc eſſe cauſam firmiſsime aſſeuerare non dubito. Tempore diui Leonis magni Romę morem fuiſſe legimus gentilitate traditum, ut qui eccleſiam ſancti Petri uiſeſerent, ante ingreſſum uertentes ſe ad orientem ſolem capite demiſſo illum uenerarentur, de qua cõſuetudine idem ſanctus [a] Leo cum contra aſtrologos inuehitur, inquit. De talibus inſtitutis etiam illa generatur impietas, vt ſol inchoatione diurnæ lucis exurgens a quibusdam inſipientioribus de locis eminentioribus adoretur, quod nonnulli etiam chriſtiani adeo ſe religioſe facere putant, vt priuſquam ad beati Petri apoſtoli baſilicam, quæ vni Deo viuo, & vero eſt dedicata, perueniant, ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum areæ ſuperioris aſcenditur conuerſo corpore ad naſcentẽ ſe ſolem conflectant, & curuatis ceruicibus in honorem ſe ſplendidi orbis inclinent, quod fieri partim ingnorantiæ uitio, partim paganitatis ſpiritu multum tabeſcimus, & dolemus. Hæc ſanctus pontifex, poſt cuius tempora, ſicut multa, quibus idololatriæ vitio tenebantur homines, ex ſuperſtitioſis, & impietatis plenis, religioſa, & pia facta fuiſſe videmus non modo templa, vt Pantheon, & Diocletiani thermas vtraque Dei matri ſacra, ſed feſtos etiam dies, inter quos ſunt ſecunda Februarij, & prima Auguſti, quorum vnus Iunoni februatæ, alter Auguſto Cæſari ſacer erat, illis nunc Virgini ſecunda ſcilicet Februarij, prima vero Auguſti diuo Petro apoſtolo honos habetur, ſic eadem ratione factum eſſe a maioribus noſtris exiſtimare

[a] ſermone. 7. in Natiuitate Domini.

debemus, vt honor, qui a ſtulta gentilitate ſoli huic, quem videmus, tribuebatur, ſapienter vero iuſtitiæ ſoli Chriſto Ieſu per illius imaginem reddatur. At ſi quis diceret imaginem recentem eſſe, & ob id aliquam mihi dubitationem afferret, reſpondeo me non de imagine ſolum, ſed de conſuetudine loqui. Quis autem prohibet aliã ibi antea fuiſſe imaginem? nihil enim omiſſum eſt ab eccleſia, quin nos veri adoratores effecti in ſpiritu, & veritate Deum adoraremus. Seruetur igitur a viſitantibus eccleſiam tam ſanctus mos, nec dedignetur pius chriſtianus facere, quod impius faciebat paganus, vt maiori humilitate, qua poteſt eccleſiam ingrediatur; cuius aditui quinque patent portæ vltra ſextam, quæ vigeſimo quinto quoque anno Iubilei redeunte aperitur, eoque elapſo clauditur, & ob id ſancta vocatur. Prima ex his in medio poſita argentea vocatur a laminis argenteis, quibus ab Honorio Papa exornata fuit, & a Leone quarto reſtituta, cum eam Saraceni diripuiſſent, quam nunc æneam videmus, vt ex verſibus in ea inciſis apparet, Eugenius quartus fecit, in qua martyrum, apoſtolorum Petri, & Pauli, ipſiuſque pontificis res geſtæ videntur. Proxima huic dextrorſum introeuntibus Romana a Romanis appellatur, quæ hanc vero contingit Guidonea barbaro vocabulo a Guidonibus, qui peregrinos ad limina apoſtolorum venientes in eccleſiam introducebãt. A leua argenteæ eſt porta Rauenniana a Rauennatibus, qui tranſtyberim habitabant, vt tradit Damaſus in vita Calliſti, quem dicit fuiſſe e regione Rauennatum, ex ea ſcilicet, quæ nunc tranſtyberina dicitur, vbi eccleſiam idem pontifex fecit. Poſt Rauennianã vltimo loco eſt porta iudicij, eo quod per eam mortui ad ſepulturam deferebantur, ſic dicta. Horum nominum manuſcriptis libris Vaticanæ bibliothecæ antiquiores auctores non inueni, inter quos eſt liber Petri Manlij canonici ſancti Petri, qui tempore Alexandri tertij de baſilica uaticana ſcripſit, & Mafei Vegij laudenſis de rebus antiquis memorabilibus eiuſdem baſilicæ. Ingreſſus cum quis fuerit in medio veteris eccleſiæ a ſiniſtra parte inueniet altare ſanctiſsimi corporis Chriſti, ſupra quod in pariete ſunt corpora ſanctorum apoſtolorum Simonis, & Thadæi, vbi præſtita ea reuerentia, quæ tanto Sacramento ab homine Chriſtiano digne exhiberi debet, facta etiam ſanctorum ibi quieſcentium memoria, poterit deinde ſe conferre ad ſepulchrum beatorum apoſtolorum Petri, & Pauli, ſupra quod non ſine maximo myſterio primum lapideum altare erectum fuiſſe legimus, vt quemadmodum ſupra petram Chriſtum Petri fides firmiſsimum eccleſiæ fundamentum ſtabilita fuit, ita per hoc eccleſiæ firmitas nobis a Petro demonſtraretur. Iacent enim ibi veneranda corpora ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli templa digniſsima Spiritus ſancti, uirtutis lumina clariſsima, quorum luce totus illuſtratus eſt orbis, de quibus ſanctus Theodoretus ad Leonem papam ita ſcribit. Habet communium quoque patrum, & ueritatis doctorum Petri, & Pauli ſepulchra (de Romana loquitur eccleſia) quæ fidelium animos illuminant, horum autem beatiſsimum par, & plane diuinum exortum quidem eſt in oriente, & Tomo. 2. in fine

radios omnem in partem omiſit;in occidente autem prompto, & alacri animo uitæ ſuſcepit occaſum,& nunc illi illinc orbem terræ ſuis radijs illuſtrat eccleſia.

Vellem equidem non ultra mihi progrediendũ eſſet, uellem de his tantum mihi habendus eſſet ſermo, ut eorum laudum partem,quæ minima eſſet, enarrando omnium animos in diuinum amorem inflammarem, & ad Dei opera non modo mirabilia, ſed prodigijs ſimilia æternis laudibus extollenda excitarem. Verum quoniam id mihi non conceditur, unius Ioannis Chryſoſtomi uerbis utar,ut ſanctiſsimi doctoris auctoritate ſiue peregrini, ſiue qui urbem incolunt, diſcant, quanta ueneratio ne ſit accedẽdum ad tam glorioſum ſepulchrum: inquit enim. Quid de Chriſto loquor, cum & diſcipulos poſtquam obierunt,tunc effulgere fecerit? Quid dico diſcipulos? nam & eorum loca, & ſepulchra ſimul, & tempore perenni memoria celebrari curauit. Tu uero mihi ſepulchrum oſtendas Alexandri, profer diem,quo uitam finiuit, ſed nihil horum inſigne,ſed omnia deſtructa ſunt, & exterminata. Chriſti uero ſeruorum,& ſepulchra clara ſunt regiam aſſecuta ciuitatem, & dies notiſsimi mundo feſtam afferentes lætitiam,& illius quidem loculum & proprij neſciunt, horum autem ſciunt & barbari, & ſeruorum crucifixi regijs aulis ſunt clariora,non magnitudine, & ædificiorum pulchritudine (nam & in hoc quidem ſuperant) ſed,quod multo maius eſt, conuenientium ſtudio. Nam & ipſe, qui purpura indutus eſt, accedit illa cõplexurus ſepulchra, & faſtu depoſito ſtat ſanctis ſuppli-

Tomo. 3. in dæmon. aduerſus gẽtes quod chriſtus ſit Deus.



„ ſupplicaturus, ut pro ſe intercedant, & ſcænarum „ fabrum, & piſcatorem etiam mortuos,ut protecto„ res orat, qui diademate redimitus incedit. Audebis „ igitur, quæſo, horum dominum nuncupare mor„ tuum, cuius ſerui uel mortui terrarum orbis regũ „ ſunt protectores? nec hoc tantum quis Romæ fieri „ uiderit,uerum & Conſtantinopoli: nam & hic Cõ„ ſtantinum magnum ipſius filius honore magno cõ„ ſueuit haberi, ſi præ foribus piſcatoris paternum „ corpus collocaret, & quod in regijs ſunt ianitores „ regibus, hoc ſunt in monumento piſcatoribus re„ ges, & illi quidem ut domini loca tenent interiora, „ hi uero tamquam inquilini, & uicini aulæ ianuam „ ſibi gratum habuere deputari. Quod & Romæ factum eſſe poſtea conſpicimus; nam in atrio eccleſiæ uaticanæ ſepulti ſunt Otho ſecundus imperator, Honorius, & Placidius, Valentinianus Augusti. Horum, quæ diuus Chryſoſtomus retulit magna parte cõfirmare uidetur diuus [a] Auguſtinus, dicens imperij nobiliſsime eminentiſsimum culmẽ ſepulchrum piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare. [b] Diuus Hieronymus romanum epiſcopum ait ſupra mortuorum Petri, & Pauli oſſa uenerãda offerre ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitrari altaria [c] Ruffinus ſcribit magnum,ac piũ Theodoſium cum Eugenio prælium initurum antequam iniret certamen, ad ſepulchrum apoſtolorum iacuiſſe non gemmis & auro ornatum, non purpura indutum, ſed cilicio proſtratũ auxilia ſibi fida poſcentem, quorum beneficio de tyranno glorioſam uictoriam obtinuit, immortalemq. triũphum reportauit. Longum eſſet dicere quot impe-

a Tomo 2. epiſt. 42.

b Tomo. 2. epiſt. 53.

c Eccl. hiſtoriæ lib. 2. cap. 32.

ratores, quot reges remotiſsimis nobis regionibus non impendentium montium altitudine, non interiacentis maris, fluminumque periculis, non ulla uiarum aſperitate deterriti huc tanta celeritate concurrerunt, ut eos potius uolaſſe, quam iter feciſſe uideantur; quod non tantũ a uiris, ſed a mulieribus, quæ natura molliores ſunt, ſed in hoc pietate fortes, atque animoſiores effectæ nullo pacto uiris inferiores extiterunt e Conſtãtinopoli. Nonne inter innumeras Gallam Placidiã imperatorum coniugem & matrem ad hunc ſanctiſsimum locũ una cum Licinia Eudoxia, & Valentiniano nepotibus ueniſſe legimus? cuius uerba ad Theodoſiũ filium hæc ſunt. Dum in ipſo ingreſſu ciuitatis antiquæ (Romam intelligit) hanc curam habuiſſemus, ut cultum beato Petro redderemus, in ipſo adorando altari martyris reuerendiſsimus Leo epiſcopus paululum ſe poſt orationem retinens propter catholicam fidem apud nos defleuit, ipſum ſimiliter ſummum apoſtolorum, quem nuper adieramus teſtem obijciens, epiſcoporum multitudine circumſeptus, quos ex ciuitatibus Italiæ pro principatu proprij loci, ſeu dignitate collegit. Ex quibus uerbis primũ cauſam aduentus ad urbem religioſæ feminæ colligere poſſumus; quæ nulla alia fuit, niſi ut cultum beato Petro redderet, idq. ſtatim in ipſo ingreſſu ad demonſtrandum ardentiſsimum deſiderium, quo uiſendi apoſtoli tenebatur, feciſſe ait. Deinde ad dignitatem loci exprimẽdam, qua nam orationis maieſtate dici poterat, quam apoſtoli ſepulchrũ adorandum altare appellare? & prope illud ſanctiſsimum magnum Leonem aſsiſtere cum epiſco-

a Concil. Tomo2. in princ.

pis



pis totius Italiæ pro principatu proprij loci, ſeu dignitate collectis? Pollicitus ſum, cum ſuperius de uiſitandis ſeptem eccleſijs generatim diſſererẽ, cur ab hoc ſacro loco inchoandum ſit, me rationem redditurum: pro ratione autem nobis eſſe debet antiquitatis exemplum. Audiuimus enim imperatricem primum diui Petri templum uiſitaſſe, neque enim quæ ex oriente in occidentem uenerat, ut ſancta inuiſeret loca, alia non adijſſe credendum eſt, quod & [a] Valentinianus Auguſtus ſe feciſſe ad patrem ſcribit, itemq. ad eundem Licinia Eudoxia filia affirmat. Poſt hos uero tempore Vitaliani papæ Conſtantinum tertium imperatorem primam omnium eccleſiarum hanc adijſſe ſcribitur, multosq. alios non magis imperio illuſtres, quam ſanctitate inſignes ad ſepulchrum apoſtolorum primum ſemper cucurriſſe legimus, a cuius ſacro altari tamquam a perenni ſanctitatis fonte pro patriarchis, & archiepiſcopis pallia aſſumuntur, ſupra quod tamquam ſupra pręcipuam petram immobilis fidei fundamenti metropolitani, & epiſcopi obedientiam ſanctæ romanæ eccleſiæ iurabant, quod etiam ſecundum ſacrorum canonum inſtituta certis temporibus uiſitare tenentur. Hoc ſacrum altare uetuſtate prope collapſum toto aſtante concilio, quod tunc Romæ pluſquam noningentorum patrum habebatur, Calliſtum ſecundum ſolenni ritu inſtauraſſe, atque dedicaſſe in die annunciationis [c] domini liber pontificalis, & Petrus Manlius tradunt. Sub quo eſt uenerandũ martyrium ſancti Petri, quod eccleſiaſtico uocabulo confeſsio dicitur. Huc mulieribus ingredi nõ licet,

a Concili. Tomo. 2. in principio.

b Ibidem Platina in Vitaliano.

c In Calliſto.

 niſi

niſi ſecunda die Pentecoſtes, qua die maribus ſub excommunicationis pœna uetitum eſt intrare. Prȩter hoc maius altare ſunt in eccleſia ſeptẽ alia altaria ſanctorum reliquijs decorata, multiſq. indulgentijs a ſanctis põtificibus illuſtrata, ad quæ poterit pius christianus hoc ordine poſt adoratos apoſtolos accedere. Cum in ueterem eccleſiam redierit, parte dextera incipiet ab altare ſanctiſsimi crucifixi, ex his unum, poſt quod ſequitur altare ſancti Andreæ apoſtoli a Gregorio quarto factum, ubi iacet corpus ſancti Gregorij magni eccleſiæ doctoris; in eo autem loco ſuper altari, quod Ciborium uocant, ſeruatur caput eiuſdem ſancti apoſtoli a Pio ſecundo ibi locatum. Sunt conceſſæ huic altari indulgentiæ pro mortuis, ſi quis in eo miſſas celebrauerit, circa quod ſedent pænitentiarij a quibus uariarum linguarum audiuntur confeſsiones. Inter hæc duo altaria diui Andreæ, & ſanctiſsimi crucifixi ſunt duo ſacella, quæ licet ex ſeptem non ſint, tamen in illis Deum precibus honorare conſuetum eſt. Primum Xiſti nuncupatur iuxta portam ſacrarij, ubi a clero nobiliſsimo, cui præeſt cardinalis archipresbyter, illiuſq. loco choro aliquis e prælatis, qui Romæ præſidet, quotidie ſumma pietate cantantur horæ canonicæ, & ſacrificium altaris offertur, quo mulieribus non patet aditus, niſi ter in anno, in die ſancti Antonij de Padua, ſancti Franciſci, & conceptionis beatæ Virginis, quibus diebus illud uiſitantibus pro peccatorum remiſsione ſunt conceſſæ indulgentiæ. Secundum eſt ſacrum ſancto Thomæ apoſtolo ob uetuſtatem loci, ſanctitatemque conditoris uenerandum,

randum,



randum, nam a beato [a] Symmacho id conditum fuiſſe tradunt, in quo hodie eſt baptiſterium. Ab altari ſancti Andreæ ex ea eccleſiæ parte uſque ad altare maius ſunt triginta ſancti romani pontifices, quorum decem primi poſt beatum Petrum eccleſiam rexerunt, uiginti uero poſt beatum Silueſtrum eodem munere maximo ſanctitatis ſplendore functi ſunt. Tertium altare ſancti Bonifacij martyris collocatum eſt inter Rauennianam, & Iudicij portas, a Bonifacio octauo ornatum, prope quod a parte Iudicij portæ corpus beati Bonifacij quarti collocauit, ſibique ſepulchrum elegit. Inter portam Rauennianam, & portam maiorem argenteam dictam eſt altare, quod mortuorum uocatur, cui pro mortuis conceſſæ ſunt indulgentiæ, ſi quis miſſam ibi celebrauerit. Inter alteram partem maioris portæ, & romanam extat altare ſanctæ Annæ, a quo non longe ante portam ſanctam iubilei inuenitur altare ſancti Sudarij a Ioanne ſeptimo dicatum, ſupra quod in marmoreo operculo repoſitum eſt ſanctiſsimum Chriſti ſudarium eius imagine inſignitum, quod maxima populi frequentia ſtatutis diebus oſtenditur. In eodem loco eſt etiam lanceæ ferrum, quo Chriſtus in cruce transfixus fuit a magno Turcarum rege Baiazete, Innocentio octauo dono miſſum, hoc item una cum ſudario in maiori hebdomada populo oſtenditur. De lancea, hæc apud uenerabilem [b] Bedam reperij.
„ Lancea militis inſerta habetur in cruce lignea
„ in porticu martyrij, cuius hoſtile in duas interciſum partes a tota ueneratur ciuitate.

a Lib pontificali in vita Symmachi.

b Tomo.5. lib. de locis ſanctis cap. 2,

De

Ibidē ca. 5 De ſudario idem narrat hoc miraculum, quod ſuo tempore accidit apud Saracenos. Sudarium, ait, " capitis domini poſt reſurrectionem eius, mox chri" ſtianiſsimus quidam iudæus furatus uſque ad obi-" tum diuitijs ſibi affluentibus habuit. Qui moritu" rus interrogat filios, qui domini ſudarium, qui ce-" teras patris uelit accipere diuitias. Maior theſauros" minor eligit ſudarium. Et mox illi decre-" ſcunt opes uſque ad paupertatem; fratri autem cū" fide creſcunt & opes, quod uſque ad quintam ge-" nerationem fideles tenuere. Hinc ad impios per-" ueniens, diuitias tantum auxit, ut iudæis, & hoc" multo tēpore, donec poſt longa litigia, quibus chri" ſtiani iudæi ſe Chriſti, infideles uero ſe patrū ſuo-" rum affirmabant hæredes, Maiuuias Saracenorum" rex, qui ex noſtra ætate fuit, iudex poſtulatur, qui" accenſa grandi pyra Chriſtum iudicem precatur," qui hoc pro ſuorum ſalute ſuper caput habere di-" gnatus eſt. Miſſum ergo in ignem ſudarium, uelo-" ci raptu effugiens euolat, & in ſummo aere diutiſ-" ſime quaſi ludendo uolucritans, ad ultimum cun" ctis utrimque intuentibus ſeſe leuiter in cuiusdam" de chriſtiana plebe ſinum depoſuit, quod mane" mox totus populus ſumma ueneratione ſalutabat," & oſculabatur. Habebat autem longitudinis pedes" octo. Nouiſsimum autem ſeptem altarium eſt ſacellum Innocentij octaui ſanctiſsimæ uirgini dicatum. His ſeptem igitur ſanctis altaribus uiſitatis nullo modo uidetur mihi prætereundum eſſe altare, quod ſub organo eſt, ubi quieſcunt corpora ſanctorum Proceſsi, & Martiniani martyrum, qui beatorum apoſtolorum Petri, & Pauli prædicatione,

a. v. Beda Tomo. 3.



ne, miraculiſq. commoti, cum ſub Nerone carcerum cuſtodes eſſent, Chriſto crediderunt, ab ipſiſq. apoſtolis baptizati fuerunt. Deinde adeundum eſt eccleſiæ ſacrarium, in quo multæ ſanctorū reliquiæ ſeruantur, inter quas eminet ſanctum, ac omni honore dignum diui Ioannis Chryſoſtomi corpus, cui non ſine diuina uoluntate illic contigit habere ſepulchrum, quo uiuens e Græcia deſiderio trahebatur, ubi adhuc uiuens toto animi affectu præſens ſibi eſſe uidebatur: cuius audiamus, quæſo, diuina uerba, & ex illis conijciemus cur Romā laudibus attollebat, beatamq. eſſe dicebat, quo etiam amoris ſtudio illam proſequebatur, & quam ob cauſam eam uidere cupiebat, quæ nulla alia erat, niſi ut beatorum apoſtolorum ſepulchra inuiſeret: ait enim. Ego Romam propterea diligo, ,, tametſi aliunde queam illam laudare, nempe a ma ,, gnificentia, & antiquitate, & a pulchritudine, a ,, multitudine, a potentatu, a diuitiis, & a rebus in ,, bello fortiter geſtis. Sed relictis iſtis omnibus, ob ,, id illam beatam prædico, quod erga illos Paulus ,, dum uiueret, adeo fuit beneuolus, adeo illos ama- ,, uit, coram diſſeruit, & poſtremo uitam apud eos fi ,, niuit, unde & ciuitas iſta hinc facta eſt inſignis pluſ ,, quā a reliquis omnibus. Et quemadmodum cor- ,, pus magnum, ac ualidum duos habet oculos illu- ,, ſtres ſanctorum, uidelicet illorum corpora: ita ,, cælum non ſplendeſcit, quomodo rurſus radios ,, ſuos ſol ex ſeſe dimittit, quemadmodum romano- ,, rum urbs duas illas lampades ubiq. terrarum ef- ,, fundens, hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Conſi- ,, derate & horrete quale ſpectaculum uiſura ſit Ro- mæ,

in martyrologio.

Tom. 4. homil. 32. ſuper Pau. ad Rom.

ma, Paulum uidelicet repente ex theca illa cum Petro reſurgentem in occurſum domini ſurſum ferri, Qualē roſam Chriſto mittet Roma? qualibus catenis aureis cincta eſt? quales habet fontes? Propterea celebro hanc urbem, non propter colūnas, neque propter aliam phantaſiam, ſed propter columnas illas eccleſiæ. Quis mihi nunc dabit circūfundi corpori Pauli, affigi ſepulchro, uidere puluerē corporis illius?& paulo infra. Vellem uidere, inquit, ſepulchrum quo condita ſunt arma illa iuſtitiæ, arma lucis, membra nunc uiuentia, tunc uero cum in hac uita eſſent emortua, in quibus omnibus uiuebat Chriſtus, quæ mundo fuerunt crucifixa, membra Chriſti, quæ Chriſtum induerant, quæ templum Spirituſſancti, ſanctaq. fuerunt ędificatio, quæ ligata erant confixa timore Dei, habentia ſtigmata Chriſti. Ecce quo modo Deus ſanctos ſuos diligat, ecce quo modo illorum uotis etiam ſi mortui ſint annuere non recuſat. Ab impiorum perfidia dum uir Dei bis in exilium mittitur, ibiq. moritur, Romam uenire prohibetur, quo poſtea piorum religio mortuum adduxit: ex Armenia enim Conſtantinopolim hortatu Proculi patriarchæ inſigni pompa Theodoſium Arcadij filium illius corpus trāſtuliſſe Zonara ſcribit, & intra ſacrariū ædis ſanctorū apoſtolorū condidiſſe. Poſtremo Romā rurſus translatū in ſacrario ſacræ huius baſilicę ſub altare SS. Lamberti epiſcopi Singienſis, & martyris, & Seruatij epiſcopi, & confeſſoris iacet: ubi quieſcit etiam corpus beatæ Petronillæ diui Petri filię, ut quā a patre uitæ ſanctitate minime degeneraſſe cognouimus, una cum illo communem

a Tomo.2. In Arcad.

ſepul-



ſepulturæ locum habentem ueneraremur. De alijs reliquijs tam huius, quam aliarum eccleſiarum in fine libri ordinatim dicemus. Dum ex eccleſia exitur a dextera parte iuxta portā iudicij eſt uetuſtiſſimum ſecretarium, quod nunc ſancta Maria de febre dicitur, ubi ſepultus eſt ſanctus Benedictus papa. In altari extat antiqua uirginis Mariæ imago miraculis non obſcura: ante ſacellum uero, auctore Anaſtaſio bibliothecario, & ut ex ueſtigijs apparebat antequam dealbaretur paries, & ex libris eccleſię manuſcriptis colligitur, ſepulta fuerunt corpora ſanctorum pontificum Simplicij, Gelaſij, Anaſtaſij ſecundi, Symmachi, Hormiſdę, Ioannis primi, ſecundi, & tertij, Felicis tertij, Bonifacij ſecundi, & tertij, Agapeti, Pelagij primi, & ſecundi, Gregorij, & Sabiniani. Nomina autem eorum, quos diximus ſepultos eſſe ab altari ſancti Andreę uſq; ad maius altare, & per alias eccleſiæ partes præter eos, quos ſuis locis nominauimus, ſunt hæc. Linus, Cletus, Anacletus, Euariſtus, Xiſtus I. Theleſphorus, Hyginus, Pius. I. Eleutherius, Victorius, Ioannes. I. Fabianus, ut ex epitaphio Sergij ſecundi habetur: hi omnes martyres ſunt: confeſſores Leo primus, ſecundus, tertius, quartus, nonus, Gregorius ſecundus, & tertius, Zacharias, Sergius primus, Leo tertius, quartus, & nonus, Felix quartus, Bonifacius quartus, Benedictus ſecundus, Stephanus ſecundus, & tertius, Paulus primus, Adrianus primus, Nicolaus primus. Item Gabinius martyr, & ut in pontificali Gregorij papę quarti legimus, in hac eccleſia ſepulti ſunt etiā Gorgonius, & Tiburtius Cromatij filius: aliorum uero nomina, quos innumerabiles eſſe affirmare

non

non dubito, inuenire non potui, quamuis non mo
dica in hoc uſus ſim diligentia. Quid præterea di-
cemus de præſtantia huius ſanctiſsimæ baſilicę, cu
ius ſi tellus manibus prematur, credam inde ſan-
guinem fluxurũ eſſe, ſi lapides tangantur, ſanctitatẽ
redolent tot martyrum, aliorumque ſanctorum
corpora, qui inculpabilis uitæ ſanctitate, doctrina
& exemplo, mundo ſpectaculum facti, bonus
Chriſti odor fuerunt, ſepulta quieſcunt. Huc tam-
quam ad fontẽ e Chriſti latere fluentium merito-
rum, illiuſque matris, ac ſanctorum omnium a
maioribus noſtris centeſimo quoque anno ex toto
Chriſtiano orbe concurrebatur, unde annus, qui
Iubilei dicitur, ortum habuiſſe fertur, ut ex extraua
ganti Bonifacij octaui de pęnitentijs, & remiſsioni-
bus manifeſte patet; hic prope piſcatoris ſepulchrũ
imperatores imperij inſignia ſuſcipere ſolent, cum
Romæ id fieri contingit; & tandem quæ nam re-
ligio fuit unquam, cui tantum honoris habitum ſit
ſicut per hanc uenerandam eccleſiam etiam hoſti-
bus fidei tremendam Chriſtianæ religioni exibitũ
legimus? A fera, atque immani Gothorum gente,
quæ ab extremis Scythiæ regionibus humanum
ſanguinem ſitiens prædæ rapinæque aſſueta in Ita-
liam maxima ac fere immunerabili hominum
multitudine eruperat; Roma orbis domina poſt
M. C. LXIIII. annos ſummi eius imperij diripi-
tur atque inflammatur, & inter ipſas excidij flam-
mas dum cruentus rector cædibus, atque ſtupris
exultat, edicto datur frenum indomito furori, &
quos euitandos Alexandrũ pronunciaſſe uetere gen
tilũ hiſtoriæ tradunt Pyrrhũ exhorruiſſe, Cæſarem
decli-

c. 1. Antiquorum habet fida relatio.

Oroſius lib. 7. c. 28

D. Hier. Tomo. 1. epi. 16.

D. Aug. Tomo. 5. de ciui. Dei lib. 5. cap. 23. Iornãdes de origine actuque Getarum.



declinaſſe, his Petrus apoſtolus, his piſcator certos
ſæuitię terminos imponit, permittitur a duce militi
bus quicqud bello collibuiſſet in uictos exercere.
Cum autem uentũ eſſet ad lumina ſancti Petri ba-
ſilicæ, tunc legem agnoſcerent, ab omni iniuria in
eos ſe abſtinerent, qui ad illam confugiſſent uiri,
pueri, ſiue mulieres eſſent, uitam, & quęcunque
ſecum aſportaſſent illis condonantes, de qua tam
inaudita atque inuſitata re diuus Auguſtinus ait,
„ Quicquid uaſtationis, trucidationis, deprędationis,
„ concremationis, afflictionis in iſta recentiſsima ro-
„ mana clade commiſſum eſt, fecit hoc conſuetudo
„ bellorum: quod autem more nouo factum eſt, quod
„ inuſitata rerum facie immanitas barbara tam mi-
„ tis apparuit, ut ampliſsimæ baſilicæ implendæ po
„ pulo, cui parceretur, eligeretur, & decerneretur,
„ ubi nemo feriretur, unde nemo raperetur, quo libe
„ randi multi miſerantibus hoſtibus ducerentur, hoc
„ Chriſti nomini, hoc chriſtiano tempori tribuendũ,
„ quiſquis non uidet cæcus eſt. Idemque ab [a] Oroſio,
„ & [b] Iornande confirmatur. Fuerunt in hac baſili-
ca quatuor celebrata concilia [c] primum & ſecundũ
ſub Symmacho papa, quo etiã duo epiſcopia iuxta
illam facta fuerunt, [d] tertium ſub Gregorio primo,
[e] quartum ſub Gregorio ſecũdo. Continuas deinde
habet indulgentias, quas multi pontifices amplia-
runt, & confirmarunt. Dies, quibus ſtationes in ea
ſunt, cum multi quidem ſint, in fine libri poſt reli-
quiarum numerum apponam, in utriſq. enim tam
in ſtationibus & indulgentijs, quam in ſanctorum
reliquijs ceteras ſuperat eccleſias.

De

Tomo. 5. de ciui. Dei lib. 1. ca. 7.

a libro. 7. cap. 8

b De origine actuque Getarum.

c Concili Tomo 2.

d Ibidem.

e Concili. Tomo. 3.

*De eccleſia ſancti Pauli via Oſtienſi.*

DICTVRVS de eccleſia beati Pauli, operæpretium mihi facturus uideor, ſi pauca prius de eo dixero. Hic namque ille eſt, qui tamquam cinis, & puluis in Deum ſuperbiens, minarum, ac cædis in diſcipulos Domini ſpirans, ad terram diuina gratia proſtratus ex Saulo ſuperbo humilis Paulus, ex rapaciſsimo lupo, mitiſsimus agnus, ex terreno cæleſtis, ex acerbiſsimo inimico crucis Chriſti, illius adeo ſtudioſus effectus, ut quaſi fulgur cæleſti lumine fulgens uix triginta annorum ſpatio Chriſti doctrina toto prorſus terrarum orbe illuſtrato, poſt exceptas innumerabiles acerbitates, poſt grauiſsima pericula terra, mariq. adita, pro Chriſto paſſus, tandem una cum diuo Petro ſub Claudio, Simone mago expugnato decimoquarto Neronis anno eodem die, quo & Petrus anno poſt paſsionem domini trigeſimo ſeptimo uictricem capite abſciſſo martyrij palmā adeptus, ſanguine prima fidei fundamenta ab ſe cum eodem Romæ iacta ſtabiliuit, ut duorum teſtimonio Petri, & Pauli ſecundum quod lege ſancitum eſt, Romæ Chriſti religio cōtra omnes tyrannorum, & hæreticorum impetus perpetuo duratura cōfirmaretur: non enim firmiori atramento, quam apoſtolorum ſanguine ſancta Chriſti doctrina nobis ſcribenda erat, neque alio ſigillo, quam præclara eorum morte immutabilis æternitatis romanæ eccleſię traditio obſignanda; quod ſi exemplo, & authoritate confirmare uolumus,

Act.c.9. A.

Seueri Sul. hiſt. ſacræ, lib.2.

Euſebij eccle. hiſt. lib. 2. cap. 13. Epiphanij to. 2. lib. 1. D. Ambroſij tomo 3. ſerm. 46. de ſanctis. D. Hier. tomo 1. de uiris illuſtribus.

Num. 35 D Ioan. 8. B.



mus, conſideremus quæſo admirabile myſterium in diuo Paulo, de quo nunc ſpeciatim loquimur, ſacrum illi abſcinditur caput, & pro ſanguine lactem emittit, ac ſi per illius mortem nutrienda eſſet eccleſia; quod quidem miraculum duorum maximæ auctoritatis uirorū ſanctorū [a] Ambroſij, & [b] Chryſoſtomi teſtimonio cōprobatur. Huic ab eodē imperatore Conſtantino, ſicut ex iiſdē ſcriptoribus, quibus ea, quæ de beato Petro narrauimus oſtendere conati ſumus, ſplēdidiſsimum templum in loco ubi ſepultus circa CCC. annos iacuerat, erectum fuit, totidem nobiliſsimis marmoreis colūnis, quot uaticana baſilica illuſtratur, exornatum maximis ornamentis, ampliſsimiſq. diuitiis auctū & locupletatum ab eodem ſancto pontifice Sylueſtro, eodem etiam die, quo uaticanum conſecratum fuit; in quo, ut traditur, ſub altari poſuit partes ſanctorum corporum Petri, & Pauli. De hac eccleſia mētionem facit diuus [c] Gregorius ad Conſtantiam Auguſtam ſcribens, [d] uenerabilis Beda, & [e] Prudentius chriſtianus, & antiquus poeta, quā his uerſibus ita deſcribit.

Parte alia titulum Pauli uia ſeruat Oſtienſis,
 Qua ſtringit amnis ceſpitem ſiniſtrum; (ces;
Regia pōpa loci eſt, princeps bonus has ſacrauit ar
 Clauſitq. magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus ſubleuit, ut omnis aurolenta
 Lux eſſet intus, ceu iubar ſub ortu.
Subdidit & patrias fuluis laquearibus columnas:
 Diſtinguit illic quas quaternus ordo.
Tunc camyros hyalo inſigni uarie cucurrit arcus:
 Sic prata uernis floribus renident.

a To. 3. ſermo. 68.

b Sermone ī feſto ss. Petri & Pauli.

Nicephori eccl. hiſto. lib. 8 cap. 4 Zonaræ tomo 2. ī Cōſtantino. Socrat. ſcolaſtici eccl. hiſt. lib. 1. cap. 3. Vene. Beda tomo 2. de ſex ętatib. mūdi in Cōſtantino.

c Tomo. 2. lib. 3. Regiſtri epi. 30.

d Tomo 2. lib. 2. de ſex ætatibus mundi.

e Peri ſtephanō hymno 12.

Ad cuius magnificentiam demonſtrandam, nõ parum mihi uidetur, quod [a] Procopius ſcribit extare ſancti Pauli apoſtoli templum Romæ, procul a mœnibus ſtadijs quatuordecim iuxta Tibridẽ porti cum eodem ab urbe pertinentem, cuius nulla nũc extant ueſtigia. Et quod maiorem habet admirationem, eodem [b] Procopio auctore eſt, quod a Gothis urbe undiq. obſeſſa tutus per illam ad eccleſiã Romanis non denegabatur acceſſus, cum ipſi barbari impium ducerent a uiſitanda Pauli baſilica populum retrahere: in hac capta a Gothis miſerandũ in modum urbe, inter effuſas per domos iam flãmas, & ex ruentium tectorum fragorem ſuper mortuorum cadauera incedentem Marcellam nobilẽ Romanam diuus [c] Hieronymus ſalutem inueniſſe ſcribit, ad quam eo tempore confugientes eãdem benignitatem hoſtium experti ſunt, quam qui ad diui Petri confugiſſent; de quo cum ſciam a nonnullis fuiſſe addubitatum, [d] Pauli diaconi id plane confirmantis audiamus uerba. Hinc, inquit, Gothi in rabiem furoris excitantur; captum iter deſerentes, Romam contendunt petere, cũcta, per quæ irent, igni, ferroq. uaſtantes. Nec mora, uenientes urbem capiunt, deuaſtant, incendunt, dato tamẽ prius præcepto, ut ſi qui in ſancta loca præcipue ſanctorum apoſtolorum Petri, & Pauli baſilicas cõfugiſſent, hos in primis inuiolatos ſecuros ſinerẽt. Habuit hæc eccleſia quadriporticum uetuſtiſsimã pene nunc ad terram deiectam, quæ integra tantũ remanſit ex parte eccleſiæ. A dextera ingreſſus portæ maioris eſt porta ſancta anno iubilei aperienda, tres aliæ obſtructæ ſunt, cum ex quinque quas ha-

[a] De bello Gothorum lib.2.

[b] Ibidem

[c] Tomo 1. epi.16.

[d] Hiſt. Miſcellę li.13





bet una ſufficere uideatur. Ingreſſus cum quis fuerit eccleſiam, poterit commode uiſitare altare ſancti Gregorij ſitum a dextera introitus, ubi dicitur aliquando fuiſſe caput diui Pauli, cui conceſſæ ſunt indulgentiæ: inde dum ad maius itur altare, inueniuntur duo maxima pulpita pro lectione epiſtolę, & euangelij. Vnde animaduertẽdum eſt, in ſpacio, quod eſt inter illa, & portam eccleſiæ, fuiſſe loca audientium, catechumenorum, quę ἀκρόασις & ὑπόπτωσις appellantur; de quibus præter id, quod diximus cum de quinque locis in eccleſiis loqueremur, in antiquiſsima Ancirana ſynodo anno domini 308. habita can. 4. & 5. fit mentio. Nam ibi conſidere permittebatur audientibus, catechumenis, & quibuſdam ex pœnitentibus, qui cum illis, aut ad euangelium tantum audiendum, aut a principio miſſæ uſque ad euangelium in eccleſiam admittebantur; poſt euangelium uero egredi cogebãtur. Erant enim hęc pulpita in omnibus antiquis eccleſiis, ut in Vaticana, Lateranenſi, & alijs ſimilibus, quæ nũc abrogatis in multis rebus antiquiſſimis canonum legibus, præcipue in his, quæ ad publicas pænitentias pertinent, ſublata uidemus: remanſit tamen hoc inſigne monumentum in nõnullis adhuc eccleſiijs, inter quas hæç præcipua eſt, ubi Σύστασις fidelium locus inter pulpita, & altare, & μέθεξις, ad ſanctificationem ſpectans, qui eſt chorus uenerandam adhuc uetuſtatem retinẽs, diſtincte uidentur. Huius eccleſiæ ſanctitas, etſi quaſi lumen aliquod undique in ea ob multa ſanctorum corpora illic quieſcentium ſplendeſcere uideatur: ueruntamen cum ad maius altare peruen-

Gregorij Thaumaturgi epi. canonica, cap. 9. Conciliorũ tomo. 1.

al. μέθεξις.

tum eſt, quaſi cæteris luminibus extinctis ſolum ſicut ſol lucet. Quamobrem poſt perſolutam ſupplicem uenerationem ſanctiſsimo ſacramento corporis Chriſti, quod ſeorſum in edito loco collocatum religioſe ſeruatur, non minori mentis in Deum eleuatione, quam cum de eccleſia beati Petri diceremus, oſtendimus uenerando illius altari deberi, huic etiam eadem debetur: eorũdem enim beatorum Petri, & Pauli ſanctiſsimis reliquijs decoratur, eodemq. diuinæ gratiæ ſplendore clarum fuit. Ad cuius gloriam ſpectant, quę diuus [a] Gregorius refert, qui ſuo tempore ait, Corpora ſanctorum Petri, & Pauli apoſtolorum tantis in eccleſijs ſuis coruſcare miraculis, atque terroribus, ut neque ad orandum ſine magno illuc timore poſſet accedi. Vbi etiam eſt notandum, quod dicit, in eccleſijs, non, in eccleſia, ad confirmandam traditionem, qua affirmatur diuiſa fuiſſe ſancta illorum corpora, parteſq. eorum hic ſicut in uaticano poſitas coli. Et paulo infra de ſancto Paulo adiungit. „Ego aliquid ad ſacratiſsimum corpus ſancti „Pauli apoſtoli meliorare uolui. Et quia neceſſe erat, „ut iuxta ſepulchrum huiuſmodi effodi altius de„buiſſet, præpoſitus loci ipſius oſſa aliqua non qui„dem eidem ſepulchro coniuncta reperit. Quæ „quoniam leuare præſumpſit, atque in altum locũ „tranſponere, apparentibus quibuſdam triſtibus ſi„gnis ſubita morte defunctus eſt, quibus ſignis, ac „miraculis manifeſte ſanctimonia loci deprehendi„tur. Iacet ſub eodem altari corpus ſancti Anaſtaſij, prope quod ab eius dextera eſt imago ſanctiſsimi Crucifixi pios animos mirabiliter commouẽs,

[a] Tomo 2. lib. 3. Regiſtri epi. 30.

Ibid.

ante



ante quam preces beatam Brigidam Deo effundere ſolitam eſſe aiunt: ſubter uero eſt Oratorium ubi miſſæ celebrantur, e quo dum quis egreditur, a dextera inuenit beatæ Lucinæ cœmeterium a ſancta muliere in agro ſuo conſtructum, in quo iacuerunt corpora beati Pauli, Proceſsi, Martiniani, & aliorum plurimorum martyrum, qui aut eodem tempore, quo illa uixit, mortem pro Chriſto ſubierunt, aut antea, cum eorum reliquiæ diſperſæ eſſent uariis in locis, in unum illuc collegit. De hoc cœmeterio multa leguntur in ſanctorum martyrum hiſtoriis, maxime apud uenerabilem Bedam, ſuper quod ad illud diſcernendũ eſt marmoreum altare, ubi ſine nomine multa ſanctorum corpora quieſcunt: traditurque tantæ magnitudinis cœmeterium fuiſſe, quantum pauimenti opere uermiculato ornari cernimus. Sunt hic ſicut in eccleſia uaticana ſeptem altaria iiſdem indulgentiis inſignita. Primum incipiendo a dextera maioris altaris. A parte ſacrarij eccleſiæ iuxta ſacrum cœmeterium eſt altare ſancti Antonij abbatis, ſecundum ſanctæ Scholaſticæ, tertium ſancti Martini, a quo dum ad alteram partẽ eccleſiæ pergitur, retro maius altare ſunt tria ſacra altaria. Primum eſt altare, ſeu ſacellum ad quod aliquot gradibus deſcenditur, ubi quieſcunt corpora ſanctorum Celſi, Iuliani, & Baſiliſſæ martyrum; ſupra gradus uerò quibus ad ſanctiſsimum ſacramentum aſcenditur, eſt altare cum marmoreo pilo, ſub quo ſancti Timothei Antiocheni martyris corpus ſeruatur. Et ut dubitandi nullus relinquatur locus, cum Timothei beati Pauli diſcipuli ibi ſepulchrum eſſe a nõ

Tomo 3. in martyrologio.

 nullis

a Tomo.3. nullis creditum ſit, uenerabilis a Bedæ uerba ex martyrologio apponam. Natale, ait, ſancti Timothei, qui ab Antiochia ueniens Romam ſub Melchiade papa ſuſceptus eſt in hoſpitium a Silueſtro papa, qui poſtea epiſcopus factus eſt: qui cum annum totum, & aliquot menſes prædicās, multos ad Chriſtum conuertiſſet, tentatus a Tarquinio urbis præfecto, & longa carceris cuſtodia maceratus, cum ſacrificare idolis noluiſſet, tertio cæſus, & grauiſsimis ſuppliciis attrectatus, ad ultimum decollatus, & iuxta beatum Paulum apoſtolum ſepultus eſt. Subtus ſanctiſsimum ſacramẽtum non longe ab altari ſancti Timothei extat altare ſanctorum Innocentium, quod parieti adhæret, ubi quinque eorum corpora ſunt recondita. Hinc pergendo ad uiſitanda ſeptem altaria deſcenſis gradibus ab altera eccleſiæ parte, quartum ex eis eſt altare ſancti Benedicti. Quintum ſancti Pauli, poſt quod deſcenſis alijs gradibus, Sextum ſancti Vrbani. Septimũ a dextera altaris ſanctæ Mariæ, ſupra quod miſſas celebrantibus ſunt conceſſæ pro mortuis indulgentiæ. Eſt in hac eccleſia ſepultus ſanctus Felix ſecundus dictus tertius. Supra maius altare eſt crux ænea ob uetuſtatem ueneranda: nam circa annum domini DCCLII. facta fuit, ut ex his uerbis, quæ in ea leguntur, apparet. Romanorum uictoria crux, Romanorum arma, Romanorum ſalus, Romanorum fortitudo, Chriſtus imperat in ſæcula, regnat in æternum, Dei filius uincit, iubar regni Romanorũ. Stephanus iunior papa fecit. Qui ante ſeptingentos annos uixit. In ſacrario ſuper altari ſeruantur multorum ſanctorũ





reliquiæ. Huic ſanctiſsimæ baſilicæ eſt adiunctum monaſterium, ubi habitant monachi ordinis ſancti Benedicti ſub abbate congregationis ſanctæ Iuſtinæ de Padua, qui tantum pietatis ſtudium in diuinis celebrandis officiis, tantumque ſumptum in conſeruanda eccleſia adhibent, ut maius deſiderari non poſsit. Magnæ, & perpetuæ in hac baſilica ſunt indulgentiæ pro peccatorum remiſsione, & præſertim diebus ſtationum eiuſdem eccleſiæ, quæ ſunt in die ſanctorum Innocentium, conuerſionis, & commemorationis ſancti Pauli, dominica in ſexageſima, feria quarta poſt quartam dominicam quadrageſimæ, feria tertia Paſchę, feria quinta poſt Pentecoſten. Reſident in ea pęnitentiarij ſicut in eccleſia ſancti Petri.

### *De eccleſia ſanctornm Vincentij, & Anaſtaſii ad tres fontes, ſiue ad aquas ſaluias.*

QVONIAM multi maiori pietatis ſtudio in Deum adducti, qui ſe in ſanctis ſuis glorioſum demõſtrat, poſtquam uiſitauerint eccleſiam ſancti Pauli, ſolent antequam ad eccleſiam diui Sebaſtiani deuenerint, non magno uiarum diſpendio non præterire eccleſias ſanctorum Vincentij, & Anaſtaſij, ad aquas ſaluias, & ſanctæ Mariæ Annunciatæ, de his nonnulla attingam, ut qui hoc agunt, libentius, ſtudioſiusq. agant, qui uero negligunt, aut fortaſſe ſegniores ſunt, ad hoc deinceps impellantur. Celebris eſt eccleſia, ad aquas ſaluias ob tres præci-

puas cauſas : una, quod ibi aliquando uir ſanctiſ-
ſimus Bernardus abbas Clarauallenſis, atque do-
ctor egregius habitauit: alia, quod ibi pluſquam
decem milia fortiſsimorum martyrum pro Chri-
ſto occubuerunt: tertia, quæ omnem admiratio-
nem eorum, qui illuc accedunt ſuperare deberet,
eſt, quod conſummato curſu huius fragilis, cadu-
cæq. uitæ, Deo inuiolate ſeruata fide, doctrina, &
exemplo, annunciata hominibus Dei ſapientia,
quæ in Chriſto eſt, Paulus doctor gentium prædi-
cator, & magiſter ueritatis, quaſi præmium tot la-
borum, quos pro Chriſto ſuſtinuit, martyrium eo
in loco, magno & eccelſo animo ſuſcipiens in cæ
2. Tim. cap.4.b. lum ad coronam ſempiternæ gloriæ recipiendam,
quæ illi a iuſto iudice repoſita erat, euolauit. Ve-
rum cum hæc ubi acta fuerint locis aliquantulum
diſtinguantur, ſingulatim hæc etiam pertractabo.
Horum prima eſt eccleſia ſatis antiqua, quę ab Ho
norio papa anno a Chriſto nato D C XXV. una
cum monaſterio ædificata fuit, in qua poſt ſanctiſ-
ſimum ſacramentum altaris adorandum, & uene-
randum caput ſancti Anaſtaſij, quod a leua maio-
ris altaris ſeruatur theca argentea tectum, quæ, ut
præ ſe fert inſcriptio, a Martino eius loci abbate fa
cta fuit anno M CCCLXXXIII. in qua ar-
genteo itidem opere ſunt duodecim oppida a Ca-
rolo magno monaſterio donata. Sunt etiam ibi ca
pita ſanctorum Zenonis, & Vincentij martyrum.
Extat poſtea a dextera altaris columna ſupra quam
traditur beato Paulo caput amputatum fuiſſe. Sunt
& aliæ illic ſanctorum reliquiæ, atque indulgētię
pro criminibus diluendis, ut legitur in tabula mar
morea



morea in pariete affixa a leua antequam ad maius
altare perueniatur. Extra eccleſiam cum egreſsi
fuerimus, occurrit nobis ſacellum ſupra paruum
collem eccleſiæ imminentem, quod Scala cæli di-
citur, ubi in cœmeterio, quod ſubter illud eſt, ut
deſcenſis aliquot gradibus uideri poteſt, quieſcũt
corpora decem milium ducentorum ſanctorum,
& trium martyrum cum ſancto Zenone pro Chri-
ſto eo in loco occiſorum, de quibus ita ſcribit ue-
" nerabilis Beda. Romæ apud Guttam manantem Tom. 3. in martyrologio.
" natale ſancti Zenonis martyris, & aliorum decem
" millium ducentorum, & trium. Gutta manans an
tea appellabatur: Scalæ cæli autem nomen loco in-
ditum fuit ob eiuſmodi miraculi euentum. Dum
enim Bernardus Romæ aliquando moraretur, &
miſſas illic pro defunctis celebraret, contigiſſe fer
tur, ut in mentis ecſtaſim raptus uideret ſcalam a
terra uſque ad cælum pertingentem, qua a purga-
torio igne animæ eius ſuffragijs liberatę ab angelis
in cæleſtem patriam ducebantur: quod miraculũ
depictum hodie cernitur in antiquiſsimo altari, ſu
pra quo celebrantibus pro mortuis conceſſæ ſunt
indulgentiæ. Illinc cum deſcenditur a dextera
parte orientem uerſus, parum diſtans eſt locus æter
na memoria dignus, ubi beatus Paulus martyrium
ſubijt, de quo diuus [a] Gregorius ad Felicem patri- a Tomo 2. lib.12. regiſtri epi. 9
monij rectorem per epiſtolam eccleſiæ diui Pauli
fundum ad aquas ſaluias donans ſcribit, hisq. uer
" bis illius ſanctitatem confirmat. Cum pro eccle-
" ſia beati Pauli, inquit, ſolicitudo nos debita com-
" moneret, ne minus illic habere luminaria, idem
" pręco fidei cerneretur, qui totum mundum lumi-
ne

ne ſuæ prædicationis impleuit, & ualde incongruũ, «
ac eſſe duriſsimum uideretur, ut illa ei ſpecialiter «
poſſeſsio non ſeruiret, in qua martyrij palmam ſu «
mens capite eſt truncatus, ut uiueret; utile iudica- «
uimus eandem maſſam, quæ ad aquas ſaluias nun «
cupatur, cum omnibus fundis ſuis, cum eius Chri «
ſti gratia luminaribus deputare. Hic, ut ueteri «
maiorum traditione habetur, abſciſſo apoſtoli capite tres fontes aquæ emanarunt, quod mire probare uidentur tria uetuſtiſsima oratoria ſuper illos conſtructa, in quorum uno eſt marmoreum altare, ſupra quod miſſas celebrare ſolitum eſt, & indulgentiæ a diuerſis pontificibus eis conceſſæ, quã traditionem ſecutus [a] Blondus Flauius ita refert.

[a] Lib 3. inſtauratæ Romæ.

Viſuntur ab urbe ſecundo miliario inter Oſtien- «
ſem, Ardeatinamq. uiam dulcis aquæ fontes, qui «
fuſo apoſtoli Pauli ſanguine eruperunt. Hi tres fon «
tes nomen dederunt eccleſiæ, & monaſterio, quod diuus Bernardus ab Innocentio papa ſecundo accepit, cui præfecit Petrum Bernardum abbatem, qui poſtea creatus Eugenius tertius dictus fuit, ad quem miſit librum de conſiderarione. Habitant nunc in hoc monaſterio monachi Ciſtercienſes reformati in Etruria, illudque a centum annis infra cardinali ſanctæ romanæ eccleſiæ commendari ſolet. In eccleſia præter continuas indulgentias, ſunt ſtationes feria tertia poſt Pentecoſten, feria ſecunda poſt dominicam tertiam quadrageſimæ, feria quinta ante dominicam palmarum. Viſitur etiã hæc eccleſia ſexto Kal. Februarij ob dedicationem Oratorij ſcalæ cæli, quæ eo die celebratur. Dies autem martyrij ſancti Zenonis eſt vij. idus Iulij.





### De eccleſia ſanctæ Mariæ Annuntiatæ.

INTER eccleſiam ſanctorum Vincentij, & Anaſtaſij, & diui Sebaſtiani ad tertium ab urbe lapidem extat antiquiſsima eccleſia ſanctæ Mariæ Annunciatæ multis ſanctorũ reliquijs ueneranda, quam Confalonis ſodalitas protegit, ac proprijs ſumptibus ſubſtentat. Hanc uiſitari ſolitum eſt ob cauſam, quam ſuperius adduxi. Sunt multæ indulgentiæ conceſſæ his, qui die Annunciationis, & dominica prima Maij illam uiſitauerint.

### De eccleſia ſancti Sebaſtiani, uia Appia.

CVM de eccleſia ſancti Sebaſtiani in præſentia uerba facturus ſim, a nobiliſsimo toto terrarum orbe diui Calliſti cœmeterio, ſupra quod fundata eſt, incipere decreui; eo namq. tempore, quo immani, & crudeli tyrannorum odio præmebatur eccleſia Dei, illius gubernacula ſanctiſsimus pontifex Calliſtus ſuſcepit, & inter alia, quæ ab ipſo facta legimus, fuit cœmeterium; quod ab ipſo nomen ſortitum eſt. Damaſus in libro pontificali de
„ eo hæc refert. Calliſtus natione romanus ex patre (In Calliſt.)
„ Domitio, de regione urbis Rauennatum, ſedit an-
„ nos quinque, menſes duos, dies decem: fuit tem

poribus Macrini, & Heliogabali, a conſulatu An- «
tonini, & Alexandri. Hic martyrio coronatur, hic «
conſtituit ieiunium quater in anno fieri, frumen- «
ti; uini, & olei gratia, ſecundum prophetiam. «
Qui ſepultus eſt in cœmeterio Calepodij uia Aure- «
lia miliario tertio, pridie idus menſis Octobris. «
Hic fecit eccleſiam ſanctæ Marię tranſtyberim, & «
fecit aliud cœmeterium uia Appia, ubi multi ſacer «
dotes, & martyres requieſcunt, quod appellatur «
uſque in hodiernum diem cœmeterium Calliſti: «
Tomo 4. ſuper Eze. ch. cap. 4. de quo ita ſanctus Hieronymus ſcribit.
Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudijs eru «
direr, ſolebam cum cęteris eiuſdem ætatis, & pro- «
poſiti diebus dominicis ſepulchra apoſtolorum, & «
martyrum circuire, crebroq. cryptas ingredi, quę «
in terrarum profunda defoſſæ ex utraque parte in- «
gredientium, per parietes habent corpora ſepulto- «
rum, & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum «
illud propheticum compleatur. Deſcendant in in- «
fernum uiuentes: & raro deſuper lumen admiſſũ «
horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fene- «
ſtra, quam foramen dimiſsi luminis putes, rur- «
ſumque pedetentim acceditur, & cæca nocte cir- «
cumdatis illud uirgilianum proponitur. Horror; «
ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent. Qui- «
bus uerbis, neſcio an pictor quamuis in arte ſua
præſtantiſsimus melius nobis illud depingere po-
tuiſſet, quam a ſancto uiro factum eſſe cernimus.
Quid poſtea de pietate illius dicemus in uiſitandis
ſanctorum ſepulchis? confundor equidem ego, ob
ſtupeſco uidens quanta negligentia, quo, ut ita di-
cam, animi torpore in ſanctos nos geramus, maxi
me



me qui Romæ ſumus. Narrat idem ſanctus doctor Tomo 2. epiſt. 53 Arcadium Auguſtum olim ex Iudæa lõgo poſt tẽpore oſſa Samuelis prophetæ tanta hominum reuerentia, tanta populorum lætitia in Thraciam tranſtuliſſe, ut epiſcopi diſſolutos cineres in ſerico, & uaſe aureo proprijs humeris portauerint, & omnium eccleſiarum populi uelut apum examina, ac ſi uiuum, pręſentemq. uiderent prophetam in Chriſti laude quaſi uno ore canentes Chalcedonem duxerint, & ecce pluſquam Samuel hic. Fuit enim Samuel propheta leuita, & hic quot ſacerdotum corpora in cinerem conuerſa iacent? quot qui cruẽta morte ſummis cruciatibus non pecudum uictimas, ſed ſe ipſos pro Deo ipſi Deo ſe obtulerunt, cum prius tyranni excogitandis, quam ipſi excipiendis ſupplicijs delaſſarentur, cum animi fortitudine tyrannorum ſæuitiam ſuperarent, indomitam ferarum rabiem incredibili manſuetudine domarent. Hinc tamquam e quodam ſanctitatis ſeminario plantæ duodecim ſanctorum romanorũ pontificum corpora in uaria, ac diuerſa loca trãſportata ſunt Aniceti, Sotetis, Pontiani, Antheri, Fabiani, Cornelij, Lucij, Stephani, Xiſti ſecundi, Dionyſij, Eutichiani, Caij, Euſebij, & Miltiadis. Item ſanctorum Cæciliæ, Tertulliani presbyteri, Nemeſij diaconi, Lucillæ eius filiæ, & aliorum innumerabilium, quorum nomina ex hominum memoria licet deleta ſint, illa tamen in cælo in omnem ęternitatem immortalis liber ſcripta retinet. Super hoc igitur memorabili cœmeterio, ut dixi, conſtructa eſt eccleſia ſancti Sebaſtiani, quã quis ædificauerit compertum non dum habemus.

Nam

Nam alij dicunt, ante Damaſum papam extitiſſe,
& ab eo tantum conſecratam fuiſſe, ut bibliothe-
carius in eius uita, alij ab ipſo Damaſo fuiſſe con-
ſtructam uolunt, ut uenerabilis Beda, qui de hac
re, ita ait. Damaſus Romæ epiſcopus fecit baſili- "
cam iuxta theatrum ſancti Laurentij, & aliam ad "
catacumbas, ubi iacuerunt corpora ſancta beato- "
rum Petri, & Pauli; in quo loco platomam ipſam, "
ubi iacuerunt corpora ſancta, uerſibus adornauit. "
Beda de Catacumbis mentionem facit tamquam
de uetuſtiori loco. Sunt enim Catacumbæ, ut in-
fra dicemus, iuxta eccleſiam, quæ eccleſia ſiue a
Damaſo fuerit conſtructa, ſiue, quod mihi proba
bilius uidetur, conſecrata, & fortaſſe etiam inſtau
rata, antiquiſsimam eſſe negari non poteſt. Habet
porticum firmiſsimum teſtimonium antiquitatis
ſuæ, ſicut ſex alias ueteres eccleſias habere uide-
mus. Sacra eſt beato Sebaſtiano, qui Dioclitiano,
& Maximiano imperatoribus pro Chriſto paſſus
eſt, de cuius glorioſo martyrio, & quo modo illic
ſepultus fuerit, hæc a uenerabili Beda traduntur.
Sanctus Sebaſtianus tantum carus fuit Dioclitia- "
no, & Maximiano imperatoribus, ut principatũ "
ei primæ cohortis traderent, quem Diocletianus, "
ubi Chriſtianum cognouit, iuſsit ligari in medio "
campo, quaſi ſignum ad ſagittam, & ſagittari a "
militibus. Qui eum ſagittis plenus quaſi hericius "
ſtaret, putantes eum mortuum, abierunt; nocte "
autem ueniens quædam mulier nomine Irene tol- "
lere corpus, inuenit eum uiuum, & adduxit in do "
mum ſuam, & curam eius egit, qui ubi conualuit, "
multos in fide confortauit; nec mora, ipſis impe- "
ratoribus

Tomo. 2. lib. de ſex ætatibus mundi in ualentiniano.

Tomo 3. in Martyrologio.



,, ratoribus apparens, hos, pro ut digni erant, cor-
,, ripuit. Tunc iuſsit eum Dioclitianus in Hippodro
,, mum palatij duci, & fuſtigari, donec deficeret,
,, quem mortuum in cloacam maximam miſerunt.
,, Sed ille apparuit in ſomnis ſanctæ matronæ Luci-
,, næ dicens. Iuxta circum inuenies corpus meum
,, pendens in unco, hoc ſordes non tetigerunt, & dũ
,, leuaueris, perduces ad catacumbas, & ſepelies me
,, in crypta iuxta ueſtigia apoſtolorum. Quæ ipſa
,, nocte ueniens cum ſeruis totum ita compleuit; in
,, quo loco ubi ſanctus ſibi ſepulchrum elegerat, ad-
,, huc miraculis clarus ſub altari quieſcit. Paulus dia
conus de eius admirabili ſanctitate magnum ſane
miraculum narrat, quo cum ratio a nobis reddi
poſsit, cur a chriſtiana plebe in tam magna uene-
ratione habeatur ad peſtilentiam propulſandam,
ipſius diaconi uerba, ut mihi illa ſuggeſsit emen-
datus liber Achillis Statij, apponam. Romæ uiſi
,, biliter multis apparuit, quod malus, & bonus an
,, gelus noctu per ciuitatem pergerent, & ex iuſſu bo
,, ni angeli, malus angelus, qui uidebatur uenabu-
,, lum manu ferre, quotiens de uenabulo illo oſtiũ
,, cuiſcunque domus percuſsiſſet, tot de eadem do-
,, mo die ſequenti homines interirent. Tunc cuidã
,, per reuelationem dictum eſt, quod peſtis ipſa prius
,, non conquieſceret, quam in baſilica beati Petri,
,, quæ ad uincula dicitur, ſancti Sebaſtiani martyris
,, altarium poneretur: factumq. eſt, ut delatis ad ur-
,, bem Romam beati Sebaſtiani martyris reliquiis,
,, mox ut in iam dicta eccleſia altarium conſtitutum
,, eſt, peſtis ipſa quieuit. Quod hodie adhuc in eius
ingreſſu a leua extat cum miraculo in pariete depi-
cto.

Lib. 6. de geſtis Longobardorum cap. 2.

cto. Sed ut ad ſancti Sebaſtiani eccleſiam redeamus, & ſecundum quod inſtituimus aliquam uiſitandi formam tradamus, ſi a ſancto Paulo ad illã deuenerimus, intrantes per paruam portam, deſcenſisq. aliquot gradibus prius ſanctiſsimas catacumbas uiſitemus, ubi [a] diuo Gregorio teſte, cuius uerba, cum de eccleſia beati Petri ſermonem haberemus, audiuimus. Itemq. ut diximus, uenerabili [b] Beda, & [c] Bibliothecario in pontificum uitis auctoribus, beatorum apoſtolorum Petri, & Pauli corpora iacuerunt; quod multarum etiam ſanctarum hiſtoriarum auctoritate confirmatur. Eſt in hoc ſanctiſsimo loco altare marmoreum, ſub quo ſacra apoſtolorum corpora condita fuiſſe traditur. Super illud autem, cum res eccleſiæ in maximum ab hoſtibus chriſtianæ fidei diſcrimen redactæ eſſent, miſſas celebrare conſueuerunt ſancti romani pontifices, quorum etiam in eodem loco e marmore uetuſtiſsimum ſolium extare uidemus, cum ſedilibus ſuper quibus alios ſacerdotes ſedere ſolitos eſſe credi poteſt. Hinc aſcẽſis itidem aliquibus gradibus acceditur ad eccleſiam, ubi quinque ſunt altaria, quibus pro peccatorum remiſsione cõceſſæ ſunt indulgentiæ. Horum primum eſt altare ſanctiſsimi ſacramenti, in quo ſepultũ eſt corpus ſancti Stephani papæ. Secundum a lęua dum ad portã maiorem eccleſiæ tenditur, eſt altare ſanctiſsimi crucifixi. Tertiũ ſancti Vrbani papę, prope quod eſt porta, quá deſcenditur ad ſacrum tot martyrũ ſanguine diui Calliſti cœmeterium. Quartum ſtatim poſt illud eſt altare reliquiarum. Quintum ab altera eccleſiæ parte deſcenſis gradibus ſancti Sebaſtiani,

a Tomo 2 lib. 3. regiſtri epi. 30

b Tomo 3 in Martyrologio.

c In beato Cornelio.





baſtiani, ſub quo, ut ſupra diximus, eiuſdem ſancti quieſcit corpus, multæque aliorum ſanctorum reliquiæ aſſeruantur. Huic altari conceſſæ ſunt pro mortuis indulgentiæ. Infra uero in alio altari eſt corpus beatæ Lucinæ, a qua diuum Calliſtum, multosq. alios ſanctos humatos eſſe legimus. In hac eccleſia toto anni tempore ſunt indulgentiæ, præcipue tamen dominicis diebus menſis Maij, & die ſanctorum Fabiani, & Sebaſtiani. In ea habitant monachi ordinis ſancti Bernardi Clareuallenſis, ſub abbate.

*De Oratorio, Domine quo uadis? uia Appia.*

INTER eccleſiam ſancti Sebaſtiani, & ſancti Ioannis lateranenſis antequã ad urbem perueniatur, eſt Oratorium, ſeu ſacellum, ubi Chriſtus diuo Petro apoſtolo iratum Neronem fugienti apparuit; quem cum Petrus, quo iret, interrogaſſet, illeq. ſe Romam ire, ut iterum crucifigeretur, reſpondiſſet; intelligens ex hoc Petrus, tempus aduenisse, quo pro illo ſibi moriendum eſſet, eumq. eodem genere mortis ſequendum, ut iam ante ei idem prædixerat, urbem reuerſus, forti, promptoq. animo mortem ſubijt. In eo igitur iterum crucifixus fuit Chriſtus, qui tunc dicitur pati, crucifigi, & mori, cum ſuos uidet pro ſe aliquid pati. Hinc inter alias cauſas illa in horto animæ triſtitia, dum conſiderabat quanta pro ſe paſſuri eſſent apoſtoli, quanta martyres omnes: hinc ille pauor antequam pro humani generis ſalute moreretur;

Marc. cap. 14. d
Matt. 26. d

retur; hinc ipſe adhuc mortalis in agonia factus; hinc illa tertio iterata oratio: ille ſudor ſicut guttę ſanguinis in terram decurrentis; hinc illa poſt glorioſam aſcenſionem ad patrem de cælo uox ad Saulum minarum, ac cædis in diſcipulos eius ſpiranté, Saule, Saule, cur me perſequeris? qua etiam uoce quotidie clamat, cum quotidie pro ſe pati uideat electos. Quod uero Romæ eo in loco Chriſtus Petro apparuerit talia dicens, patet ex grauiſsimis ſcriptoribus Hegeſippo, & diuo Ambroſio, in qua tam uetuſta, & memorabili re, ut cum latinis grę cos coniũgam, amborum teſtimonium proferam. Ex quibus etiam demonſtrabitur quo modo patitur Chriſtus, qui nunc ad dexteram patris ſedet in gloria maieſtatis ſuæ. a Hegiſipus ita tradit. Petrus ubi uenit ad portam, uidet ſibi Chriſtum occurrere, & adorans eum, dixit: Domine quo uenis? dicit ei Chriſtus, iterum uenio crucifigi. Intellexit Petrus de ſua dici paſsione, quod in eo Chriſtus paſſurus uideretur, qui patitur in ſingulis, non utique corporis dolore, ſed quadam miſericordię compaſsione, aut gloriæ celebritate, & conuerſus in urbem redijt, captusq. a perſecutoribus cruci adiudicatus eſt. b Diuus Ambroſius eadem ſcribit in oratione in Auxentium de baſilicis tradendis inuehens, ſuosq. ad tolerantiam exhortans, ait enim. Petrus uicto ſimone cum præcepta Dei populo ſeminaret, doceretq. caſtimoniam, excitauit animos gentilium, quibus eum quærentibus Chriſtianæ animæ deprecatæ ſunt, ut pauliſper cederet. Ille quamuis eſſet cupidus paſsionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus eſt: rogabatur

Luc. 22. e

Act. c. 9. a

a Lib. 3. c. 2

b Tomo 2. in oratione contra Auxẽtium de baſilicis tradendis.

gabatur



„ gabatur enim, ut ad inſtituendum, & confirmandum populum ſe reſeruaret. Quid multa? nocte muro egredi cœpit, & uidens ſibi in porta Chriſtum occurrere, urbemq. ingredi, ait. Domine, quo uadis? Reſpondit Chriſtus, uenio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum; Chriſtus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem paſsione ſuſceptę mortis exuerat: quod enim mortuus eſt, mortuus eſt ſemel, quod autem uiuit, uiuit Deo. Intellexit ergo Petrus, quod iterum Chriſtus crucifigendus eſſet. In ſeruulo itaque ſponte remeauit, interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatimq. correptus per crucem ſuam honorificauit dominum Ieſum. Hæc ſunt, quæ Hegiſippus, & diuus Ambroſius referunt de hoc tam inſigni loco, quibus aperte demonſtratur, quo modo Deus ſanguine diui Petri apoſtolorum pręcipui in hac urbe firmiſſimum eccleſiæ fundamentum ſtabiliuerit, & quã arctis amoris uinculis nos ſibi deuinxerit, ut cum pro illo aliquid pati uidet, ipſe nobiſcum patiatur. Quibus diligenter conſideratis, quis quo religionis cultu ſit honorandus locus, ubi hæc docemur, non uiderit?

### De ſacroſancta diui Ioannis Lateranenſi baſilica in monte Cælio.

GRAVE mihi ſane eſſe ducerem, ſi tam exiguo temporis ſpatio, quo ad ſcribendum de re grauiſſima maiorum auctoritate adductus ſum, ſingula, quæ notatu digna in eccleſia lateranenſi apparent, narrare uellem: ex quibus ſi quæ præcipua, maximeq. inſignia perſecutus ero, non parum & uiribus meis huic oneri prorſus imparibus, & breuitati, quam a me requiri ſentio, ſatisfeciſſe uidebor. Iam in principio libri diximus, ad Chriſti fidem conuerſo Conſtantino imperatore inter reliqua ipſius pietatis monumenta Romæ extare ampliſsimas eccleſias, quarum primam Lateranẽſem conſtruxiſſe legimus, quam uarijs nominibus appellatam eſſe deprehendimus: nam a loco, Lateranenſis dicta eſt, quod in Lateranenſis nobiliſsimæ familiæ ædibus eam Conſtantinus condiderit: Cōſtantiniana, a conditore ipſo: Saluatoris, a dedicatione, cum primo Saluatori dedicata fuerit: Aurea, ab ornamentis, & diuitijs: poſtremo ſanctorum Ioannis Baptiſtæ, & Ioannis euangeliſtæ, ab eorum inuocatione uocata eſt. Et quoniam ad illam adeũtes hunc ſolent ordinem ſeruare, ut prius Baptiſterium uiſitent cum alijs locis, quæ circa illud ſunt, ne retro illis redeundum ſit, quod uiſitari nullo modo poſſet, ſi ab eccleſia inciperent: eorum igitur commodo nunc conſulere ſtatuens, minime id

Lib. Pontificali B. Damaſi in Silueſtro. Socrates ſcholaſtici lib. 1. ca 3. eccl. hiſt. Nicephori lib. 8. ca. 4. Ven. Bedæ Tomo 2. de ſex ætatibus mundi in Conſtantino. Zonaræ Tom. 2. in Cōſtātino.

alienum



alienum eſſe iudicans, a Baptiſterio incipiam: de quo cum multi multa dixerint, cumq. ex quo quaſi fonte quies, & tranquillitas eccleſiæ fluxerant; ex eo multorum errorum occaſio extiterit, eius mali cauſam in medium afferam, ut ueritate perſpecta aliquando curioſis, ſeu potius perfidioſis hominibus deteſtabiles de eo opiniones tollantur: pijs uero religio in illud augeatur. Quod Conſtantinus Romæ a beato Silueſtro baptizatus fuerit, ſatis ſuperq. cum græcorum, tum latinorum grauiſsimis teſtimonijs in principio libri a me oſtenſum eſt. Reliquum nunc mihi eſſe uidetur aperire, quare id negatum ſit a multis; quamque uerum ſit in hoc ipſo loco, qui Baptiſterium dicitur, Conſtantinũ baptizatum fuiſſe. Tres filios in imperio, ut in hiſtorijs illorum temporum legimus, ſibi ſucceſſores reliquit magnus Conſtantinus, Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtantem: horum maior natu Conſtantinus fratri regnandi cauſa bellum indixit, in quo bello occubuit. Hic in Arrianam hæreſim delapſus, denuo ab ipſis baptizari uoluit. Conſtante etiam Magnentij inſidijs occiſo, Conſtantius ſolus in imperio remanſit: qui, ut res geſtæ B. Artemij teſtãtur, cum quadraginta annos cum patre, & ſolus imperaſſet, poſteaque in morbum incurabilem incidiſſet, accerſito Euzoio Antiochiæ epiſcopo iuſsit ſe baptizari, pauloque poſt exceſsit. Hinc falſas de Conſtantino opiniones tam pęnitus inſitas, tam uetuſtas acceptas eſſe aſſeuerare firmiſsime non dubito. Nam cum nonnulli dicant ab Arrianis eum fuiſſe baptizatum (non enim inter ſe conſentiunt ueteres ſcriptores) in quo a diuo

In ueteribus græcis exemplaribus uaticanæ bibliothecæ.

 Hiero-

a Tom.1.ī D.Hilarione, In chronica apud Euſebium Tomo.2.

b In Felice.

a Hieronymus teſtimonium ſumunt, hi nominum ſimilitudine decepti, quod ab impio filio factum eſt, patri piiſsimo tribuunt. Et ut ne alicui hæc ſomniaſſe uidear, audiamus quid de eo b Damaſus in libro pontificali ſcribat: inquit enim. Fœlix papa declarauit Conſtantinum filium Cōſtantini hæreticum, & ſecundo rebaptizatum ab Euſebio Nicomedienſi iuxta Nicomediam in Aquilone uilla; & pro hoc declaratus ab eodem Conſtantino Conſtantini Auguſti filio, martyrio coronatur, & capite truncatur. Qui uero uolunt auctoritate diui Ambroſii illum non ab Arianis, ſed a catholicis fuiſſe baptizatum, & hæc eſt altera opinio, qua Conſtantinus male audit a multis, hi nimirū quod item accidit Conſtanti filio, quem ex uerbis beati Artemij oſtendimus ſupremo uitæ tempore baptizatum, ut ſæpe confundi patrum, & filiorum res geſtas apud hiſtoricos fieri uidemus, quæ filij ſunt patris eſſe dicentes, Conſtantino accidiſſe exiſtimāt. Sed quid eis reſpondebimus, qui preter teſtimoniū diui c Ambroſij illud d Euſebij Cæſarienſis ſatis celebris ſcriptoris eis in hoc fauentis nobis obijciūt, cui, etſi plus auctoritatis iure tribui uideatur, cum Conſtantini tempore uixerit, & illius familiaris fuerit, tamen ſi recte rē inſpiciamus, fatebimur quod alijs temporum, & perſonarum errore tribuendū eſt, id illi adſcribendum eſſe perfidiæ, & malitiæ: hic, ut ex eius ſcriptis apparet, & in Arrianam hæreſim incurrit, & utriſque patri, & filio Conſtantino, & Conſtanti adulatus eſt. Viuente adhuc Cōſtantino, non parum uiſus eſt probare Nicænam fidem, ſcripſit inter alia ad Cæſarienſes epiſtolā,

c Tomo 3. in funere Theodoſij Imp.

d Tomo 1. in Conſtātino lib.4.

qua



qua illos hortabatur ad credendum de fide totum id, quod in Nicæna ſynodo patres definierant. Poſt mortem uero catholici principis uidens Conſtantem Arrianis adhærere, illorūque dogma amplecti, & quod Conſtantinum patrem a diuo Silueſtro baptizatum eſſe, & a lepra mundatum memoria obliterare cupiebat; ut Liberij ſanctiſsimi pontificis exemplo perſpicitur, qui inter alias cauſas, quibus in exilium miſſus eſt, quemadmodum illius teſtantur acta, hoc præcipue nomine uexatus eſt, quia & baptizatum, & a lepra liberatum diui Silueſtri opera Conſtantinum conſtanter affirmabat. Nam imperator neque ſe leproſi filium uideri uolebat, neque libenter ea, quæ Arrianorum cauſam premerent, audiebat. Quamobrem nactus aliquando tēpus Euſebius uirus impietatis ſuæ euomendi, & Conſtantinum a diuo Silueſtro fuiſſe baptizatum negauit, & contra catholicam fidem aperto marte, ut eius ſcripta, quæ adhuc extant, declarant, diſputare cœpit, Arrianam ſententiam mirifice approbans, ac laudans contra Nicænam ſynodum. Et ne teramus tempus in eius hic ponendis uerbis, quibus multis in locis in filium, & ſpiritū ſanctum ſacrilegas blaſphemias profert, diui Hieronymi auctoritate, quæ dicimus, comprobabimus, qui non multo poſt in eccleſia doctrina, & uitæ ſanctitate floruit: inquit enim. Statim de porta egrediens (Ruffinum intelligit) nauem impegit, referens de apologia Pamphili martyris, quam nos Euſebij Arrianorum principis, probauimus. Et paulo infra non longe. Dicit Euſebius, immo, ut tu uis (eundem Ruffinum intelligit) Pamphilus

Acta Liberij.

Tomo 2. Apologiæ aduerſus Ruffinum lib.2.

 in iſto

in iſto uolumine, filij, & patris miniſtrum ſpiritũ ſanctum non de eadem patris, filijq. ſubſtantia. & alibi. Fortiſsimos libros contra Porphyrium ſcribit Apollinarius, eccleſiaſticam pulchre Euſebius hiſtoriam texuit: alter eorum dimidiatam Chriſti œconomiam, alter impietatis Arrij apertiſsimus propugnator eſt. Deinde ad demonſtrandum uerſuti hominis ingenium illud Eſaiæ ſubiungit, Væ qui dicunt bonum malum, & malum bonum, & qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Hęc ſunt, quæ diuus Hieronymus de Euſebio refert, hoc de eo, cui iſti tantum auctoritatis deferunt, iudicium facit. Qui de Euſebio mutarent ſententiã, ſi ſanctorum patrum ſcripta peruolutaſſent: non enim coniecturis, aut numiſmatum inſcriptionibus, ut gentilium ſcripta, & ſepulchrorum epitaphia ſunt noſtræ religionis res perſcrutandæ, ſed ex ſanctorum, & ab eccleſia probatorum patrum ſcriptis diiudicandæ. Hoc autem dico, quoniam non ſolum ab hæreticis apertis fidei noſtræ hoſtibus, quorum impetus facilius reflectuntur, de Cõſtantini baptiſmo nobis dubitatio affertur: ſed ab iis penitus negatur, qui unanimes ſimul nobiſcum dulces capiebant cibos, & in domo Dei ambulare uidebantur cum conſenſu: quorum eo grauior plaga, & quæ minus uitari poteſt, quo ab amicioribus infligitur. Non eſt ueritus quidam, qui in hac Lateranenſi eccleſia dignitate fulgebat, & diuitijs ſuſtentabatur, cuius nomen non ſine cauſa præterire decreui, non eſt ueritus, inquam, ideo falſa, & fabuloſa affirmare, quæ de baptiſmo, & de munificentia Conſtantini in eccleſiam afferuntur, quia

Tomo 2. epi. 65.

Pſal. 52.

nullis



nullis tabulis eorum memoria inciſa uidetur, nec numiſmata, in quibus ſicut Cæſarum, & Neronum acta, quæ diuus Silueſter, & magnus Conſtãtinus geſſerunt, inſculpta eſſent, reperiuntur: quæ nunquam fortaſſe dixiſſet, ſi non nomine tãtum, ſed ſtudiis, & profeſsione chriſtianus fuiſſet. Et ſi pecuniam, quæ ex ſacris ei ſuppeditabatur altaribus, in profanos uſus non conuertiſſet, ſed in ſacrorum eccleſiæ doctorum libros impendiſſet, & in illis legendis tempus conſumpſiſſet, numquam tamquam ingratus filius in matrem calcibus, unguibus, ac morſu irruiſſet. Sed ut eodẽ, quo nos ferimur gladio, Goliæ caput amputetur, nonne Euſebio teſte, ut iam diximus, Gaius antiquiſsimus ſcriptor una cum Zephyrino pontifice diſputans aduerſum Proculum cataphrygem ad comprobandam Chriſti fidem Romæ ſanguine apoſtolorum firmatam oſtendit hæretico trophæa apoſtolorum in Vaticano, & in uia Oſtienſi defixa? & nos crudeliſsime ſęuientes in religionem noſtram, in hãc ſanctam urbem præclariſsima illius monumenta, quibus barbaræ gentes pepercerunt, noſtro mendacio ad terram proſternimus? quod nam Romę, præter apoſtolorũ ſepulchra, baptiſterio illuſtrius extat opus porphyreticis columnis ornatũ undique uenerandam antiquitatem oſtendens, quod principum pietas conſtruxit, & ſancta fidelium traditio conſeruauit? de qua perueteri traditione, deq. omnibus, quæ hucuſque conatus ſum ad confirmandam ueritatem ex grauiſsimorum auctorum ſcriptis ſumere, quaſi compendium omnium faciens, quæ hactenus dixi, & quæ etiam dicenda eſſent,

Eccle. hiſt. lib. 2. c. 25.

hoc

hoc poſtremo loco adducam Theophanem græcũ antiquum, ac egregie fidelem hiſtoriarum ſcriptorem, qui ante ſeptingentos annos, ut ſupra a me dictum eſt, hiſtoriam ab orbe condito conſcripſit. Hic, & Conſtantinum a diuo Silueſtro baptizatũ Romæ hoc in loco ait, ipſumq. imperatorem de omnibus, quæ falſo memoriæ a pluribus de illo prodita ſunt, purgat. Huius uerba hæc ſunt, digna quidem, quæ in æneis deſcriberentur tabulis. Hoc anno, inquit, ut nonnulli ferunt, magnus Conſtãtinus cum Criſpo filio Romæ a Silueſtro baptizatus eſt, quemadmodũ hi, qui Romæ habitant uſq. in hanc diem in teſtimonium oſtendunt locum baptiſmi, ſiue baptiſterium, quod Romæ ſit a Silueſtro baptizatus poſt ſublatos tyrannos. At orientales ferunt eum ab Euſebio Nicomedienſi Arriano ſub extremum uitæ tempus baptizatũ, ubi etiã fato functus ſit; ferunt enim eum diſtuliſſe baptiſmum, quod ſperaret in Iordane flumine baptizari: ſed mihi uerius uidetur eũ a Sylueſtro Romæ fuiſſe baptizatum, & conſtitutiones, quæ nomine eius circumferũtur ad Melchiadem fictas eſſe ab Arrianis, qui ſibi hinc gloriam aucupari ſtuduerunt, ut pium imperatorem maculare niterrentur, ipſum ſine baptiſmo fuiſſe aſſerentes: quod plane abſurdum eſt, ac falſum. Si enim non erat baptizatus in Concilio Nicæno, ſupereſt, ut neque diuinorum myſteriorum fuerit particeps, nec orationem cum diuinis patribus habuerit, quod dicere, & cogitare abſurdiſſimum eſt. Cæteri uero Arriani, & pagani calumniãtur uti ſpurium magnum Conſtantinum, qui & ipſi mentiuntur. Nam genus eius ante Dio-

In hiſtoria ab orbe cõdito cuius exẽplaria grȩce extãt in uaticana bibliotheca.

clitianum



clitianũ fuit: ſiquidem pater eius Conſtantinus ſororius erat Claudij imperatoris, & ex prima uxore Helena ſuſcepit magnum Conſtantinum: ſuſcepit autem alios filios ex Theodora filia Maximiani filij Herculij, quæ ſoror erat Maxentij, qui Romæ tyrannidem exercuit, interfectuſque eſt a Conſtantino ad pontem Miluium, quãdo ſignum crucis conſpexit in cȩlo: ſoror item erat Fauſtȩ uxoris magni Conſtantini. Neque quiſquam admiretur, ſi ante baptiſmum, cum adhuc eſſent pagani, duas ſorores accipiebant pater, & filius. Eſt autem genus eorum ad hunc modum. Quo teſtimonio omnibus in hoc me ſatisfactum eſſe puto, niſi forte adhuc de concilio Nicȩno, quo tempore fuerit, alicui ſuperſit dubitatio, cum Sozomenus tempore Iulij primi fuiſſe congregatũ ſcribat; cui ſi diuum Athanaſium catholicæ fidei firmiſſimum columen oppoſuerimus, qui diaconus cum Alexandro Alexandrino, cuius factus eſt ſucceſſor in archiepiſcopatu, concilio interfuit, nullus dubitandi locus uidebitur nobis relictus, qui ad beatum Marcum papam ſcribens, dum apud eum de iniurijs Arrianorum cõqueritur, maxime de bibliotheca, quã Alexandriæ illi combuſſerant, in diui Silueſtri mentionem incidit his uerbis. Libros noſtros uſque ad minimum incendentes Arriani, nec iota unum relinquentes propter ueritatis fidem etiam Nicȩnam ſynodum, qua modo clerus, & populus imbuebatur, & iam maxime imbuti erant, in contumeliam noſtram, & omnium chriſtianorum incenderunt. Quapropter precamur pater beatiſſime, quia non dubitamus apud uos plenaria eſſe concilij Nicæni exem-

Tomo 4. operum D. Atha. Tomo 1. cõci.

plaria,

plaria, ut nobis illa, quæ ſanctæ recordationis præ-«
deceſſoris ueſtri Silueſtri fuerunt, ſub tuta mittatis «
ſtipulatione. Nam quando prædictæ ſynodo cum «
beatæ memoriæ Alexandro digno Deo pontifice «
noſtro, id eſt Alexandrinæ magnæ ciuitatis epiſco- «
po, in diaconatus interfuimus officio, ſub noſtræ «
præſentiæ teſtimonio per beatos uiros Victoré, & «
Vincentium presbyteros apoſtolicæ ſedis apocriſa «
rios, miſſa ſunt prædicto papæ Silueſtro. Ecce «
quam conſona ſint inter ſe eccleſiæ romanæ fides, & traditio, quæ tunc minime dubiæ nobis erunt, ſi pijs oculis illas inſpexerimus, ſi ad fontes ſanctorum patrum recurrerimus, & diſsipatas prurientium aurium gentilium, & hæreticorum a ueritate nos auertentium ciſternas non effoderimus, quæ nullo pacto æternæ ſalutis aquas continere ualent: ſed iam ad baptiſterium redeamus, de quo ſecundum Theophanem accepimus Romæ traditionem antiquitatis, & ſanctitatis ipſius ante ſeptingentos annos uiguiſſe. Huc cum pius chriſtianus peruenerit, recordetur primum, quod ibi ſupra Conſtantini caput ſacra fluminis unda uoracé in eccleſiam odiorum flammam extinxit Deus: deinde quod illic tot ſāctiſsimi Romani Pōtifices Paſchæ, & Pentecoſtes diebus ſolenni ritu baptizare ſolebant; quod ex antiquis manu ſcriptis ritualibus eccleſiæ apparet. In hoc autem loco fecit quatuor Oratoria Hilarus papa, ut in eius uita Anaſtaſius bibliothecarius tradit, ex eis tria extare uidentur. Primum eſt Oratorium ſanctæ crucis ante primam baptiſterij portam. Secundum intra ipſum baptiſterium, a dextera ingreſſus, quod ſancto

In Hilaro.



cto Ioanni Baptiſtæ dicatum eſt, in cuius ænea porta legitur inſcriptio, qua ab Hilario fuiſſe conditū agnoſcitur. Sunt huic magnæ cōceſſæ peccatorum indulgentiæ, ſub cuius altari maximæ conditæ ſunt ſanctorum reliquiæ: huc feminæ numquam ingredi poſſunt. Tertium uero a læua eſt Oratorium ſancti Ioannis euangeliſtæ, quod item ex uerbis ſupra portam liquet, ab Hilaro factum eſſe. Subtus illius altare multæ ſunt ſanctorum martyrum reliquiæ, habetque indulgentias. Quarti Oratorij ſancto Stephano ſacri nullum ueſtigiū ſupereſt. Hinc poſtea uiſitur Oratorium ſancti Venantij, illuſtre ſepulchrum ſanctorum martyrum Venantij, Domnionis, Anaſtaſij, Mauri, Aſterij, Septimij, Sulpiciani, Telij, Antiochiani, Pauliani, Caiani, qui ſub maiori altari quieſcunt: quem locum ætas noſtra illuſtriorem uidit ob imaginem ſanctiſsimæ uirginis Mariæ innumeris miraculis claram. Hoc Oratorium conditum fuit a Ioanne quarto Pontifice, ut in eius uita legitur. A dextera eiuſdē Oratorij exeundo, ſiue redeundo per baptiſterium; a læua eſt ſacellum in loco, qui porticus ſancti Venātij dicitur; ubi a dextera, ſi per baptiſteriū illuc ingrediamur; ſi autē per oratoriū ſācti Venātij, a lęua. Eſt erectū marmoreū altare ab Anaſtaſio papa cōſecratū, ſanctis uirginibus Ruffinæ, & Secūdæ ſacrū, ſub quo earum corpora condita ſunt. Eſtq. ibidem ab altera parte aliud altare ſanctorum Andreæ, & Luciæ uirginis ab eodem pontifice, & utriuſque in eo reliquijs reconditis conſecratum, cuius conſecratio facta eſt ſexto Kalendas Octobris, die ſanctorū Cypriani, & Iuſtinæ, quorum corpora in pilo marmoreo

moreo condita ſub eodem altari locauit. His om-
nibus locis uiſitatis, pius Chriſtianus eccleſiam in-
grediatur, de cuius admirabili ſanctitatis præſtan
tia, quid dicam, quod non infra illius dignitatem
ſit? Nam ſi in ueteri lege tanti primogenitura fie-
bat, ut ad unum primogenitum ceterorum impe-
rium, ac principatus ſpectare uideretur, & ipſius
hæreditaria eſſe cenſerentur diuina chariſmata, ut
Gen.c.25 c ſatis oſtendit inſigne illud Iacob cum Eſau fratre
certamen adhuc in matris utero pro illa fortiter
ambo dimicantis, quæ reuerentia non eſt adhiben
da huic ſacræ baſilicæ, cui ob id præcipue ſacro-
ſanctum nomen debetur? Hæc primogenita alia-
rum eccleſiarum omnium fit princeps: hac prima
uero Deo erecta finis imponitur idololatriæ: in ea
Ioan.c 4. c primum clauſis ubiq. idolorum templis Deus in
ſpiritu, & ueritate adoratur: hęc prę alijs in terris
triumphantem illam Hieruſalem repręſentare ui-
detur. Nam Chriſto ſaluatori beatorum in cælo
ſplendori, ac pręmio ſacra ſub inuocatione utriuſ-
Mal.3.a que Ioannis Baptiſtæ, & Euangeliſtę, quorum unus
Luc.7.d inter homines angelus appellatur, alter ob uirgini-
tatis pręrogatiuam, immaculatam morum ſancti-
tem a ſacris litteris uitę contemplatiuę compara-
tur, nihil niſi diuinum in ſe continere uidetur.
Quamobrem olim in illa, ut in ueteri eiuſdem ba-
ſilicæ ante quadringentos annos manu ſcripto li-
bro legi, non cantabatur in miſſa tertio ſecundum
eccleſię inſtitutum, Agnus Dei, qui tollis peccata
mūdi, dona nobis pacem: quaſi inſtar cęleſtis Hie
ruſalem pax in ea ſumma eſſet, nec umquā niſi, ut
feſtis diebus in alijs eccleſijs fieri ſolet, campa-
narum



narum ſonitu quotidie populus ad illam conuoca-
batur, ac ſi perenne gaudium, feſtusq. dies, cui ſi-
ne ſolis occaſu atra minime ſuccedit nox, perpe-
tuo ibi eſſe cerneretur. Hanc primam omnium,
ut [a] Damaſus, & uenerabilis [b] Beda ſcribūt, condi- a Lib. pōti.
dit Romę Conſtantinus in Cęlio monte in ædibus in D. Silue
lateranenſis nobiliſsimę familię, ut diximus, quā ſtro.
mira munificentia exornauit, ac ditauit: a diuo au- b Tom. 2.
tem Silueſtro quinto idus Nouembris conſecrata de ſex æta-
fuit, quo die ut ex eo libro eiuſdem eccleſię acce- tibus mun
pi, cuius iam teſtimonium protuli, imago Saluato di.
ris Romano populo in pariete depicta monſtrata
fuit. In hac ſola eccleſia ligneum eſt altare arcę ſi-
mile, ut memoria pręteritorum temporum retine
retur, quibus cum tyranorum odijs uexaretur ec-
cleſia, & a ſancto Petro uſque ad ſanctum Silue-
ſtrum pontificibus certus, ac definitus locus non
eſſet, ſiue in cryptis, ſiue in cœmeterijs, aut in pio-
rum ędibus ſuper illo ſacrificare conſuetum fuit,
in quo honoris gratia idem ſanctus Silueſter ſanci
uit, ne quiſquam pręter Romanū Pontificem miſ-
ſas deinceps celebraret: ad quod, poſtquā ſanctiſsi-
mū altaris ſacramētum uiſitauerimus, ſumma reli
gione atque pietate decet accedere, & bonorū om-
nium auctorem Deum toto mentis affectu lauda-
re, ab illoq. ſuppliciter rurſus poſt tot miſerias,
quibus eccleſiam inuolutam cernimus, priſtinam
tranquillitatem & pacem petere. Sunt ſuper hoc
uenerando altari ſacra apoſtolorum Petri, & Pau
li capita, quę inde quaſi duo fulgentia ſydera, im-
mo potius quaſi duo clariſsimi ſoles ſimul lucen-
tes ſplendent, ac ſancto quodam ad ea accedentiū
tremo-

tremore quaſi fulgura coruſcant: in quo loco thecis
argenteis auro cęlatis incluſa, ferreiſque cancellis
munita, e ſacello, quod Sancta Sanctorum dici-
tur, Vrbanus papa quintus collocauit, quæ multo
ante ab eccleſia ſancti Petri illuc diuum Silueſtrum
tranſtuliſſe traditur: oſtenduntur quibuſdam anni
diebus maxima populi frequentia, uidelicet feria
quinta maioris hebdomadę, in feſto Paſchatis, Na-
talis domini, Dedicationis baſilicę, & Corona-
tionis pontificis. At quia hic multi dum uident
beati Petri caput a ſiniſtra diui Pauli collocatum,
ignorantes cauſam, quęrere ſolent quomodo, aut
cur id factum ſit; ęquum duxi, antequam ab altari
diſcedam, eorum deſiderio paucis uerbis ſatisface
re, ideo aliorum opiniones miſſas faciens quamuis
ueras, ac omnino probabiles, meam tantum in
medium afferam. Quis enim umquam dubitauit
Petro apoſtolorum principi primo in terris Chri-
ſti Vicario primum honoris locum inter apoſtolos
deberi? de quo ita Arator poeta.

Hiſt. apoſt. lib. 2. Contulit ut Petro, Paulum gerat ordo ſecundū: «
Qui fundamentis manet architectus in illis. «

Qui quidem honor ſi recte conſideretur, nullo mo
do ei denegatur, cum a ſiniſtra Pauli ponatur: quo-
niam, ut optime norunt ſacrorum myſteriorum pe
riti, in celebratione miſſæ dextrum altaris cornu
accipitur pro Hebręorum populo, cui primo ſeip
ſum, & ſacra omnia uſque eo cōmunicauit Deus,
Pſal. 75 ut notus in Iudæa ſolum diceretur; quod per librū,
quem ibi ponit ſacerdos ubi uſque ad euangelium
pergit legere, ſignificatur: ſiniſtrum uero pro po-
pulo gentili intelligitur, ad quem gratia poſt legē
transfer-



transferri denotatur per librum, quem ad illud ſa-
cerdos lecturus euangelium portat. Quod quidem
„ confirmari videtur per ea quę legimus: Vidētes au-
„ tem turbas Iudęi (inquit ſacra Apoſtolorum hiſto- Act. 13. g.
„ ria) repleti ſunt zelo, & cōtradicebant his quę à Pau
„ lo dicebātur blaſphemantes. Tunc conſtanter Pau
„ lus, & Barnabas dixerūt: Vobis oportebat primum
„ loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, &
„ indignos vos iudicaſtis ęternę vitę, ecce cōuertimur
„ ad gentes, ſic enim præcepit nobis dominus: Poſui Iſa. 49. b.
„ te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſq; ad extre
„ mum terrę. Ad quorum duritiam demonſtrandam
Paulus, & Barnabas cum ab illis è finibus ſuis eiecti
eſſent, puluerem pedum in eos etiam excuſſerūt: &
Dominus in Euāgelio iudęis ait: Auferetur à vobis
regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.
Ex quibus quis non videt cauſam qua ſinagogę ec-
cleſiā prætulit Deus, cuius myſterii (vt dixi) per de-
xteram lęuamque altaris ſeruatur memoria? Et ne
alicui dubitationem variæ poſitiones altarium affe
rant, dicimus hoc eſſe intelligendum ſecundum ve
terem poſitionem, vt in eccleſia S. Petri, S. Ioānis,
& alijs antiquis eccleſijs, vbi eadem altaris, & ſacer
dotis facies populum reſpicit. Quare ſicut Euange
lium licet veteri lege præſtantius ſit habendum, ta-
men non ſine myſterio in ſiniſtra altaris parte legi
tur, ita ob nobilioris myſterij ſignificationē Petrus
caput eccleſię, quę maxime ex gētilitate collecta ē,
a ſiniſtra, Paulus a dextera collocatur, quemadmo
dum hic videmus, & in antiquis picturis conſpici-
mus. Poteſt etiam alia reddi ratio, quę eſt, quod cū
iam Chriſtus omnem ambitionis occaſionem tolle

Luc. 22. c. re ab animis noſtris vellet Apoſtolis dixiſſet, qui maior eſt in vobis, fiat ſicut iunior, & qui pręceſſor, eſt ſicut miniſtrator ideo Petrus quamquam maior ad ſiniſtram ponitur. Sed vt grauiori firmē teſtimonio nonnunquam lęuam dignori aſsignatam eſſe afferam huc exemplū beati Sophronij epiſcopi Hieroſolymitani ex encomio in ſanctos Cyrum, & Ioānem, quod a ſecunda Nicęna ſynodo tanti fit, vt cōtra imaginum ſanctorum oppugnatores illud referant patres. Igitur cum ueniſſemus, inquit, in templum quoddam abſoluti operis, forma quidem tremendum, & ſupra modum ſplendidum, altitudine vero in cælum uſque aſcendens, ingreſsi ſingula perluſtrantes, ecce imaginem maximam, & mirificam uidimus repręſentantem, medio quidem picturam domini noſtri Ieſu Chriſti, Chriſti autem matrem, & dominam noſtram deiparam ſemper uirginem Mariam a ſiniſtris, a dextris uero Baptiſtam ſaluatoris noſtri præcurſorem, qui in utero ſaltu illum indicauerat. Quis ignorat quantum luce ſol differt aſtellis, tantum gratia Dei matrem a ceteris ſanctis differre? & tamen illam a ſiniſtris filij, & Ioannem a dextris cernimus. Quare hoc? niſi quia D. Maria tempus gratię repręſentare videbatur, Ioannes autē antiquam legem, cuius fuit terminus. Et ne vno tantum teſtimonio contenti videamur, contradicendique locus nullus ſit, ponam hic ordinem conſidendi, quem ſeruatum eſſe legimus in Calcedonenſi concilio, quod in eccleſia celebratum fuit: ſic enim legimus. Poſt hęc reſidentibus magnificentiſsimis, & glorioſiſsimis iudicibus, & ampliſsimo ſenatu in medio ante cancellos ſanctiſsimi altaris (non enim intra cancellos tunc admittebantur laici) & ex lęua quidem parte ſedentibus ſanctiſſimis, & reuerendiſſimis epiſcopis vicarijs Deo amiciſſimis ſanctiſſimi & reuerendiſſimi Leonis antiſtitis priſcæ vrbis Romæ, & Anatolio religioſiſſimo archiepiſcopo Conſtantinopolitanæ regiæ ciuitatis, & Maximo religioſiſſimo epiſcopo Antiochiæ, ex dextera vero parte ſimiliter cōſidentibus Dioſcoro religioſiſſimo archiepiſcopo Alexādriæ, & Iuuenali religioſiſsimo epiſcopo Hieroſolymorum. Ex quo quis hic læuam pręſtantiori perſonę deſignatam non videt, cum legatus apoſtolicus in ea ſedeat? cuius auctoritatē in concilio quis nō agnoſcet, dum primus omniū loquitur, Dioſcorum archiepiſcopum Alexandrinū prohibet in concilio ſedere, & non niſi intromiſſum iubet audiri, poſt quē deinde digniores ſuū locum retinebant in ſubſellijs? Neq; vero dū de ſiniſtra in eccleſia loquimur, & dexterę illam pręponimus, aliter id intelligendum eſſe dicimus, quam cum minores natu maioribus, & primo genitis, vt Iacob, Eſau, Iuda, Ruben, Effraim, Manaſſe, Dauid; alijs fratribus in ſacris litteris diuino priuilegio aliquando pręelectos eſſe videmus, vtq; etiam legimus vocatā non plebē Dei, plebem Dei; & non dilectam, dilectam; & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam: quę omnia, poſthabita ſuprema illa primogeniturę dignitate, & priſtini honoris gradu Iſraeliticę plebis, quis de Gentili populo dici non intellexerit? cui ſiniſtra in eccleſia, vt oſtendimus per myſterium altaris, debetur; Iudęo autem dextera non denegatur: quod ex diui Pauli verbis perſpicimus,

Cōciliorū Tomo 3. actione. 4. Nicęnæ ſynodi 2.

Concil. Tomo 2. actione 1.

Gen. c. 17. d
Gen. c. 49 b
Gen c. 48. d
Reg. 1. cap. 16. c.

Oſeæ 2. d.

Rom. 2. b cimus, cum in epiſtolis ſuis ad Romanos Iudęum primum nominat, deinde Gentilem. Neque quod fugiat nos, quanti in veteri, & noua lege, atque etiã myſtice in cęlo fiat dextera, illam ſiniſtra inferiorẽ facimus: ſed quia ob cauſas, quas adduximus, ſic ei uiſum eſt, qui uocat ea, quę non ſunt, tamquam ea, quę ſunt. Hæc de dextera, lęuaq. in eccleſia dicta ſint. Sub maiori altari innumerę ſanctorũ reliquiæ ſunt, vt ex tabula ibi appenſa licet uidere: & in ſubterraneo Oratorio, quod ſub illo eſt, in quod ſcalis per feneſtram æneo cancello clauſum deſcenditur, ſeruatur ſanctum oleum chriſmatis, & baptiſmatis. Prope portam ſacrarij eccleſię eſt ſacellum ſanctorũ apoſtolorũ Philippi, & Iacobi, cui pro mortuis, & remiſsione peccatorum ſunt indulgentię. Dum hinc itur ad maiorẽ portã a dextra maioris altaris, eſt inſigne altare ſanctæ Mariæ Magdalene, ſupra quod poſitæ ſunt ſanctorũ reliquiæ, & inde populo oſtenduntur. A dextera maioris portę cum exitur, eſt uetuſtiſsimum oratorium ſancti Thomæ a Ioanne papa duodecimo conſtructũ, in quo ſuper altari ſancto Ioanni Baptiſtę ſacro multę ſunt ſanctorum reliquię, inter quas eſt arca fœderis, menſa ſupra quam cũ diſcipulis Paſcha comedit Chriſtus, uirga Aaron, & Moſis. In hoc Oratorio mulieres non ingrediuntur, niſi in die ſancti Thomę apoſtoli. Habet hęc eccleſia quattuor portas, unam a parte ſuperiori, quæ ſeptentrionem reſpicit, alias uero tres a parte inferiori orientem uerſus. Ante illas extat antiquiſsima porticus: a læua exeuntibus eſt porta ſancta iubilei. Et ita pie, ac religioſe luſtrata eccleſia, uiſitatis tam ſanctis locis, qui in illa ſunt,

uiſitatur



uiſitur ſanctiſsimum Saluatoris ſacellum, ad quod per gradus aſcenditur, qui ſunt uenientibus a maiori porta eccleſiæ a dextera parte in medio fere eccleſiæ: quo antequam perueniatur, ab eo non longe reperitur ſacellum ſatis uetuſtum ſancti Silueſtri, ubi traditur reconditas eſſe ſanctorum reliquias. Hinc ad ſancti Saluatoris ſacellum peruenitur, quod quidem ſancti Laurentij dictum fuiſſe multi ſcriptores affirmant, maxime tamen bibliothecarius in uita Stephani papæ tertij. Hoc poſtea ob innumeras ſanctorum reliquias Sancta Sanctorum nomen ſortitum eſt. Hic aliquandiu recondita fuerunt apoſtolorum capita, Chriſti præputium, & caput diuæ Agnetis uirginis, & martyris, quæ cum multis alijs inde ablata ſunt: aſſeruantur tamen ibi adhuc multæ ſanctæ, & uenerandæ reliquiæ. Nunc uero ob collocatam in eo ſanctiſsimã Chriſti ſaluatoris imaginem ſacellum Saluatoris appellatur, cuius adorandæ imaginis pluribus in locis memoriam apud ueteres fuiſſe legi. Primũ, ſi a nomine illius ſanctitatem oſtendere uelimus, ἀχειροποιητός, quaſi non manufacta dicitur: a miraculis, tempora, quibus eccleſia in maximum diſcrimen redacta, ad illam Dei miſericordiam impetratura confugit, præclarum nobis teſtimoniũ dãt. Pandulphus Hoſtiarius, qui poſt Damaſum papam pontificum uitas ſcripſit, hæc narrat.

„ Beatiſsimus pater congregato uniuerſo cœtu taliter eos paterno amore admonuit, inquiens. Quæſo uos filij cariſsimi pro noſtrorum delictorũ mole diuinam imploremus clementiam, & ipſe noſter erit adiutor, liberabitq. nos ſua prouidentiſ- (Pãdulph⁹ hoſtiarius in Stepha no 2.)

 ſima

ſima miſericordia a perſequentium manibus. Cu-
ius ſalutiferis admonitionibus cunctus obediens
populus, congregati unanimiter omnes lacrymis
fuſis omnipotentem dominum deprecati ſunt. In
una uero dierum cum multa humilitate ſollicite
proceſsit in litania cum ſacratiſsima imagine ſal-
uatoris domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ acheropi-
ta nuncupatur, proprioq. humero ipſam imaginē
cum reliquis ſacerdotibus geſtans, nudis pedibus
tam ipſe quam uniuerſa plebs pergentes ad eccle-
ſiam ſanctæ Dei genitricis, quæ ad Præſepe nuncu
patur; poſito in omnium capitibus populorum ci-
nere maximo fletu & ululatu miſericordioſiſsimū
dominum deprecati ſunt. Idem a Bibliothecario
dicitur, geſsit enim ſanctus pontifex pontificatum
circa annum ſeptingenteſimum quinquageſimum
a Chriſto nato: quod de litanijs, & de imagine di-
ximus, actum fuit eo tempore quo Aiſtulphus Lō
gobardorum rex Romanorum agros, & fines bel-
lo uexabat, totamq. Italiam exagitabat. Solitum
erat etiam maxima populi ueneratione, ut quot-
annis in feſto aſſumptionis ſanctę Mariæ uirginis
hæc ſacra imago ad eccleſiam ſanctæ Mariæ maio-
ris portaretur: quod antiquiſsimo tēpore ſeruatū
fuiſſe ex uetere libro rituali Achillis Statij Luſita-
nij, accepim⁹ cuius hæc ſunt uerba. Ordo in aſſum
ptione S. Marię. In ipſa nocte legūtur cantica can
ticorum, uel homilię eiuſdem diei: in ipſa ueſpe-
ra uigiliarum pręparatur portatorium in ſancto
Laurentio apud Lateranos, ſuperpoſita tabula ima
gine Chriſti domini noſtri inſignita: a medio no-
ctis concurrente populo exeunt cum litania ad ſan

In S. Stephano.

Ex bibliotheca Achillis Statij.

ctam



ctam Mariam minorem, mundatis per uiam pla-
teis, & ſuſpenſis per domos lucernis, ibique in gra
dibus ſanctæ Marię depoſita aliquando icona, om-
nis chorus uirorum, & mulierum genibus ante
eam flexis, pugnis etiam cędentes, una uoce per nu
merum dicunt centies Kirie eleiſon, centies Chri-
ſte eleiſon, centies Kirie eleiſon, fuſiſq. lacrymis,
& precibus per ſanctum Adrianum recta uia ua-
dunt ad ſanctam Mariam maiorem, auditaq. miſ-
ſarum celebritate, ad palatium reuertuntur.
Ex quo libro non ſolum contra hæreticos, quam
antiquus fuerit in eccleſia Dei ſanctarum imagi-
num cultus, docemur; quod ex antiquis Longo-
bardorum litteris, quibus eſt ſcriptus liber, conij-
citur, & ex eo quod dicit, in uia, qua ab eccleſia
Lateranenſi ad ſanctam Mariam minorem, quæ
nunc ſancta Maria noua nominatur, fuiſſe domos,
& plateas, quarum nec quidem longinquitate tem
poris extare uidemus ueſtigia. Sed quod plurimi
a nobis fieri debet; eſt, quod hinc admonentur
Chriſtiani, quibus obſequijs, qua pietate hæc ſan
ctiſsima imago ſit honoranda; quam tanto hono-
re proſequuti ſunt maiores noſtri. Quod ſi cum ad
alias ſanctorum imagines hominibus recurrenti
bus eorum preces exaudiens Deus mirabilia oſten
dit (inter quæ illud memorabile eſt, quod a Zo-
nara ſcribitur de imagine diui Gregorij Nazian-
zeni, ad quem cum Conſtantinus Leonis Arme-
nij imaginum oppugnatoris filius confugiſſet, &
ſibi uocem, quam, dum iuſſu Michaelis Balbi ui-
rilia abſcinderentur, amiſit, reſtitui poſceret, uo-
ti compos factus quod optabat obtinuit) quanto

Tom. 3. in Michaele Balbo A-morręo.

 magis

magis imaginem filij ſui uenerantibus omnia con-
ceſſurum nobis ſperandum eſt, ſi uerbis fides re-
ſpondeat, ſi uita a fide non diſſentiat? Mulieribus
ob ſanctitatẽ loci in Sancta Sanctorũ ſacellum ubi
ſuper altari collocata eſt imago, nullo tẽpore lici-
tum eſt intrare: quem locum ſumma religione,
atque munificentia cuſtodit, tueturq. ſodalitas ſan
cti Saluatoris ex nobilibus Romanis: a qua non
ſine maximo etiam pietatis ſtudio adminiſtratur
nobiliſsimum pauperum infirmorum hoſpitium
prope eccleſiam a Ioanne Columna uiro religioſiſ-
ſimo ſanctæ romanæ eccleſiæ cardinali circiter
CCCC. annos ædificatum, ac diuitijs auctum.
Et quia a multis alium ordinem, quam ſupra de-
dimus, ſeruari uidemus, incipiunt enim a ſcalis
quæ ſanctę uocantur, & ad Sancta Sanctorum per-
ueniunt, illinc poſtea ad eccleſiam tendunt, non
ab re de ſcalis huc poſtremo ſermonem diſtuli.
Has ſecundum maiorum traditionem accepimus
illas eſſe, quibus Chriſtus præſidis domũ tempore
paſsionis aſcendit: quare ob eius memoriam fle-
xis genibus maxima pietate uiri, ac mulieres aſsi-
due aſcendunt. Quod quam pium ſit factu, quàq.
laudabile, unicuique ſatis perſuadere poteſt & ma
iorum, ut dixi, traditio; & id, quod dum illud
agimus, nobis ante mentis noſtræ oculos ponimus,
nempe quod una, eademq. nocte Dei filius noſtri
Matt. 26. e cauſa tamquã mitiſsimus agnus a rapacibus cani-
Marc. 14. e bus, & inexplebili fame enectis lupis, inter armorũ
Luc. 22. c Ioan. 18. c ſtrepitum arctiſsimis uinculis ligatus in ciuitatem
ductus, a ſcelerato Iuda proditus, a Petro negatus,
ab alijs diſcipulis derelictus, incredibiles iniurias
perpeſ-



perpeſſus: bis has aſcendit, primo, quãdo e domo
ſacerdotum principis ad præſidem adductus fuit, Matt. 27. a
ut eum ſummus ſacerdos, & uniuerſum phariſæo- Marc. 15. a Luc. 23. a
rum, & ſcribarum concilium apud illum multis Ioan. 18. c
criminibus accuſarent: ſecundo cum a Pilato præ- Luc. 23. a. b
ſide ad Herodem regem miſſus eſſet, & ad illum il-
luſus a toto militum exercitu, qui nefario regi ul-
lo impietatis genere cedebat, morionis ueſte ut de-
mens indutus rediit: poſtremo autem per illas de- Matt. 27. d
ſcendit, quando morti adiudicatus, in omni ſacri Marc. 15. b
corporis parte crudeliſsime uerberatus, ſpinarum Luc. 23. d
corona uenerando capiti impoſita, non paſsibus, Ioan. 19. c
ſed inſana, ac furẽti uiolentia ad montẽ raptus fuit,
ſupra diuinos humeros duriſsimum patibulũ por-
tans. Hæc Chriſtianus meditari debet, his inhære-
re tota mentis agitatione: nec diu, multumq. quaſi
dubitando immorari, an illæ ſint ſcalæ, quas Chri-
ſtus aſcendit, & quomodo huc ſint translatæ. Ma-
gna fuit olim principum pietas, qui cum orbis im-
perium obtinerent; hoc, & multo maiora facere po
tuerunt. Impium enim ſemper eſſe duxi negare
id, quod pie ab omnibus, aut pleriſque receptum
eſt. Quot ſeruari uidentur in eccleſia, quæ a tradi-
tione tantum fluxerunt, de quibus negando dubi-
tare grauiſsimum, ac ſacrilegum eſt? Sed ut ad eccle
ſiam redeamus, quæ quantæ uetuſtatis ſit ex mul-
tis præter ea quæ hucuſque diximus demonſtrare
poſſem; uerum ut res maxime inſignes tantum cõ-
memorem, quæ apud antiquiores inueni, ſcribam.
Diuus Hieronymus ait Fabiolam nobilem roma- Tomo. 1.
nam in hac eccleſia pænitentiam egiſſe, eo quod ui- epiſt. 30
rum ob adulterium dimiſerat, & alteri perperam
nupſerat,

nupſerat: cuius hæc ſunt uerba. Quis hoc crederet? ut poſt mortem ſecundi uiri in ſemetipſam reuerſam, quo tempore ſolent uiduæ negligentes, iugo ſeruitutis excuſſo, agere ſe liberius, adire balnea, uolitare per plateas, uultus circumferre; meretricis ſaccum indueret, ut errorem publice fateretur? & tota urbe ſpectante romana ante diem Paſchæ in baſilica quondam Laterani, qui Cęſariano truncatus eſt gladio, ſtaret in ordine pænitentium, epiſcopo, presbyteris, & omni populo collacrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida, ſquilladas manus, ſordida colla ſubmitteret? Et Prudentius contra Symmachum urbis præfectum, cum dicit, Plebem Romanam in Chriſtum credidiſſe, in eiuſdem baſilicæ mentionem incidit his uerſibus. Lib. 5.

Poſt hinc ad populũ cõuerte oculos, quota pars eſt,
Quæ Iouis infectam ſanie non deſpuit aram.
Omnis, qui celſa ſcandit cænacula, uulgus
Quiſque terit, ſilicẽ uarijs diſcurſibus atram;
Et quem panis alit, gradibus diſpenſus ab altis;
Aut uaticano tumulum ſub monte frequentat;
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obſes,
Cœtibus aut magnis lateranas currit ad ædes,
Vnde ſacrum referat regali chriſmate ſignum.

In hac ſacroſancta baſilica undecim concilia habita ſunt. Primum ſub [a] Iulio primo; ſecũdum, & tertiũ, ſunt, quartum, & quintum eorum, quæ romana appellantur, ſub Symmacho, ut ſcribit [b] Ennodius Diaconus romanus, quibus ait CC. & XXX. epiſcopos interfuiſſe. [c] Quartum ſub Gregorio magno, [d] Quintũ ſub Martino LXVIII. epiſcoporũ. Sextum ſub [e] Nicolao ſecũdo CXIII. epiſcoporũ.

a Conc. Tomo 1.
b lib. Aduerſus caluniatores.
c Conc. Tomo 2.
d Conc. Tomo 2.
Adonis chronicæ ĩ Conſtantino Heraclij nepote.
e Conc. Tomo 3.

Septimum



[f] Septimum ſub Caliſto ſecundo CMXVII. epiſcoporum. Octauum ſub [g] Innocentio ſecundo M. epiſcoporum. Nonum ſub [h] Alexandro tertio CCLXXX. epiſcoporum. [i] Decimum ſub Innocentio tertio, cui interfuere Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus, & Archiepiſcopi tũ latini, tũ greci: LXX. epiſcopi. CCCCXII. abbates, & priores plus DCCC. ſimul omnes prę-lati MCCXV. aut eo plures. [k] Vndecimum ſub Iulio ſecundo cardinalium XVI. & epiſcoporum LXXXVII. [l] ſub Leone cardinalium XXII. epiſcoporum LXXXVI. Ex quibus quis non uidet antiquitatem ſimul cum amplitudine, & maieſtate loci? nam inter primum, & ultimum concilium pluſquam MCC. anni præterierunt, quo ob huiuſmodi cauſam, quam uerbis Nicolai primi pontificis explicabimus, patres ad concilia habenda relicta uaticana baſilica ſe contulerunt. Collecta, inquit, ſancta ſynodo in eccleſia Dei, in qua beatus Petrus apoſtolorum princeps corpore redolet, & uirtutibus emicat: deinde propter frigiditatem loci in eccleſia Lateranenſi, quæ ab auctore appellatur Conſtantiniana, & quæ prima toto terrarum orbe conſtructa eſt: ibique recitatio ante illius fores Symmachus Papa combuſſit libros Manichęorum. Pontificalis hæc ſunt uerba. Poſt hæc omnia B. Symmachus inuenit Manichæos in urbe Roma, quorum omnia ſimulachra, uel codices ante fores baſilicæ Conſtantinianæ incendio cõcremauit, & eos ipſos exilio relegauit. In ea olim habitauerunt Canonici regulares ordinis ſancti Auguſtini ſub priore, & aliquandiu ſimul cum illis ſub abbate Mo-

f Pandulphus Piſanus in Caliſto 2.
g Platina ĩ Innocentio 2.
h Conc. Tomo 3.
i Ibidem.
k Conc. Tomo 4
l Ibidem.
Ad collectos Conſtantinopolim.
In ſymmacho.

te Mo-

te Monachi Caſsinenſes, qui diurnis, nocturniſque horis diuinarũ laudũ officijs uacabant; poſt quos ſoli Canonici regulares permanſerunt. Nunc autẽ hæc eccleſia habet archipresbyterum cardinalem, & canonicos ſæculares, multoſq. alios presbyteros, qui altari, ac choro deſeruiunt, in qua omnia munera epiſcopalia exercentur, ſacri conferuntur ordines, chriſmate unguntur fideles, ſanctum conficitur oleum, & multa alia fiunt, quæ dignitatem eccleſiæ oſtendunt: ſuntque ibi, qui pænitentium confeſsiones audiunt, quos Pænitentiarios uocãt; ſicut in eccleſia ſancti Petri eandem facultatem in abſoluendo habentes: anno iubilei eædem indulgentiæ a Clemente ſexto conceſſæ ſunt hanc eccleſiam uiſitantibus, quæ in baſilicis apoſtolorũ acquiri ſolent.

## *De eccleſia ſanctæ Crucis in Hieruſalem.*

NIL tam Deo homines propinquos facit, quam crux, ſiue illam in Chriſto conſideremus, ſiue in nobis, dum aduerſa pro eius gloria patienter ferimus. Nam quis non uidet deuicta morte, ablato peccati imperio, extincta ſathanæ tyrannide, clauſum longo tempore cælum nobis apertum eſſe cum in illa Dei filius acerbiſsima morte ſanguinem fudit? Quamobrem diuus Paulus apoſtolus excelſa uoce clamans, dicebat: Abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Quis noſtrum deinde nõ intelligit crucem ſibi ad ſalutem conſequendã ma-

xime

Gal. 6. d



xime neceſſariam eſſe, quam vt quiſque tollat iubet Chriſtus, & ut ſe per eam ſequamur? Tanta eſt inter cælum, & crucem propinquitas, ut beati dicantur hi, qui perſecutiones patiuntur propter iuſtitiam, ipſorumque etiam eſſe regnum cælorum. Non igitur abſque accurata conſideratione pertrãſeat, nullas ex ſeptem eccleſijs magis inter ſe propinquas eſſe quam Lateranenſem, quę triumphãti eccleſiæ, ac cæleſti Hieruſalem a nobis comparata eſt, & eccleſiã ſanctæ crucis noſtræ ſalutis myſterijs dedicatam; in qua quid aliud docemur quam quo modo uera beatitudo nobis paretur, & per mortem æterna uita tribuatur? Quibus pie, ac ſancte conſideratis, a Lateranenſi ad ſanctæ crucis eccleſiam accedamus: quam in palatio Seſſoriano Conſtantinus magnus condidit eo tempore, quo Lateranenſem, Vaticanam, & alias eccleſias Romæ ædificauit, vt ſanctus Damaſus Papa his uerbis ſcribit. Eodem tempore, inquit, fecit Conſtantinus Auguſtus baſilicã in Palatio Seſſoriano, ubi de ligno ſanctæ crucis poſuit, & in auro, & gemmis concluſit, ubi & nomen eccleſiæ dedicauit, quo nominatur vſque in hodiernum diem Hieruſalem. Et venerabilis Beda. Conſtantinus fecit Romæ baſilicam in palatio Seſoriano, uel potius Seſſoriano, quæ cognominatur Hieruſalem, ubi de ligno crucis domini poſuit. Quæ crux quo modo fuerit inuenta, cum parum inter ſe diſſentiãt gręci, & latini ſcriptores (nam ex latinis diuus [a] Ambroſius, [b] Paulinus, [c] Ruffinus, [d] uenerabilis Beda, [e] Paulus diaconus; ex græcis, [f] Euſebius, [g] Socrates Scholaſticus, [h] Theodoritus, [i] Sozomeus, & [k] Zo-

nara

Matth. 5. a

In D. Silueſtro. Conc. Tomo 1.

a Tomo 3. in funere Theodoſij.

b Ad Seuerum Sulpitiũ epi. 11.

c Hiſt. eccl. lib. 10. c 8.

d Tomo 3. ĩ martyrologio.

e Hiſto. miſcellæ lib. 11.

f Eccl. hiſt. lib. 10. c 8.

g Hiſt. eccl. lib. 1. c. 17.

h hiſt. eccl. lib. 1. c. 18.

i Et hiſt. eccle. lib. 2. cap. 1.

k Tomo 3 in Conſtãtino.

nara hiſtoriam narrant) unius diui Paulini uerbis rem geſtam piorum animis inſeruiens exponam. Miſerat uir Dei Seuero Sulpitio particulam ſanctiſſimæ crucis, & per literas illum docet quo modo, & quando tam ingens theſaurus inuentus fuerit, ita inquiens. Adrianus imperator exiſtimans ſe fidem chriſtianam loci iniuria perempturam, in loco paſſionis ſimulachrum Iouis conſecrauit, & Bethleem Adonis fana profanata eſt: ut quaſi radix, & fundamentum eccleſiæ tolleretur, ſi in ijs locis idola colerentur, in quibus Chriſtns natus eſt ut pateretur, paſſus eſt vt reſurgeret, ſurrexit ut regnaret, iudicatus ut iudicaret. Me miſerum, etiam iſta pro nobis dominus omnipotens perpeti non recuſauit, ut ubi pro ſalute generis humani crucifixus pependerat, ibi hominum ſacrilegio ſperneretur: & ſuper crucem, ad quam orbe concuſſo, & ſole refugo, & diſsilientibus mortuorum excitatione monumentis, rerum natura nutauerat; ſtabat ſimulachrum dęmonis, & ara ſimulachri pecudum buſta fumabat: & Dei nomen deferebatur ſtatutis mortuorum, cum ipſe uiuorum Deus, qui & reſurrectio mortuorum eſt, non ſolum mortui, ſed & crucifixi hominis blaſphemaretur opprobrio. In Bethleem quoque, ubi agnouerat bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui; ibi principes hominum inficiati ſaluatorem Deum, infames hominum amores, morteſque coluerunt. Prodita nouo ſydere regis ęterni vbi cunabula ſupplices cum ſuis opibus adorauerunt Chaldęi; ibi barbaras libidines ſacrauerunt Romani: ubi natum ſaluatorem cum exercitu angelorum concinentes cæleſtis

Ad Seuerū Sulpitium epi. 11.

gaudio



gaudio ſalutauerant illuſtrata nocte paſtores; ibi Veneris amaſium miſtæ ſemiuiris planxere meretrices. Prho dolor, quæ pietas hominum hanc impietatem compenſare poterit? ubi ſacra nati ſaluatoris infantia uagierat; illic Veneris lamenta fingentium laſciuis luctibus infamis ritus ululabat: & ubi virgo pepererat; adulteri colebantur. Manſit hoc ſęculi prioris nefas in tempora noſtris proxima Conſtātini, qui princeps eſſe principibus chriſtianis non magis ſua, quam matris Helenæ fide meruit; quæ diuino, vt exitus docuit, inſpirata conſilio, cum Hieroſolymā agnoſceret, nomine conregnabat, vt ſibi facultatem daret cuncta illic loca dominicis impreſſa veſtigijs, & diuinorum erga nos operum ſignata monimentis purgare, deſtructis templis, & idolis ab omni profanę impietatis contagio, & religioni ſuæ redderet, vt eccleſia tandem in terra originis ſuę celebraretur. Itaque prompto filij imperatoris aſſenſu mater Augu ſta patefactis ad opera ſancta theſauris, tota abuſa fiſco eſt; quantoq. ſumptu, atque cultu regina poterat, & religio ſuadebat, ędificatis baſilicis contexit omnes, & excoluit locos, in quibus ſalutaria nobis myſteria piatatis ſuę incarnationis, & paſſionis, & reſurrectionis, atque aſcenſionis ſacramentis Dominus redemptor impleuerat. Et paulo poſt. Sed in hiſtoria crucis accipite magnum, & uere diuinum miraculum. Regina illa venerabilis, vt venit Hieroſolymam, diligenter, & pie locis illis, & circa omnibus diuinorum curioſa inſignium, & oculis haurire geſtiens fidem, quam pijs auribus litteriſque perceperat, crucem domini

ſtudio-

ſtudioſiſsime inquirere adorſa eſt: ſed quæ uia, uel ratio inueniendi ſubeſſet, cum index idoneus nemo inueniri poſſet, ubi memoriam, & curam religioſe conſcientiæ, uel obſeruantiæ, & antiquitas æui, & ſuperſtitionis impiæ diuturnitas aboleuiſſet. Verum ipſo omnium, & terris, & animis opertorum conſcio, & teſte Deo, fidelis mulier ſanctum ſpiritum per affectum pium meruit: quo aſpirante cum rem ab humana conſcientia diuinitus remotam fruſtra diligens requiſiſſet; de loco tantum paſsionis certior fieri ſtuduit. Itaque non ſolum de Chriſtianis doctrina, & ſanctitate plenos uiros, ſed & de Iudæis peritiſsimos, ut propriç, qua miſeri & gloriantur impietatis, indices exquiſiuit, & accitos in Hieroſolymam congregauit. Tum omnium una de loco teſtificatione confirmata iuſsit illico, urgente ſine dubio conceptç reuelationis inſtinctu, in ipſum locum operam foſsionis accingi: parataq. mox ciuium pariter, & militari manu breui laborem iſtius molitionis hauſit: & contra ſpem omnium, ſed secũdum ipſius tantum reginæ fidem alta egeſtione reſeratis terræ ſinibus abditæ crucis arcana patuerunt. Sed cum tres pariter cruces, ut quondam fixæ domino, & latronibus ſteterant, repertç fuiſſent, gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi, iuſto piorum metu, ne forſitan aut pro cruce domini patibulum latronis eligerent, aut ſalutare lignum pro ſtipite latronis abijciendo uiolarent. Reſpexit pias fideliter çſtuantium curas dominus, & ipſi potiſsimum, quæ tam pie ſollicitudinis princeps erat, huius conſilij lumen infundit, ut aliquem

recens



recens mortuum inquiri, & inferri iuberet. Nec mora, uerbum factum, cadauer illatum eſt, deponitur, iacenti una de crucibus admouetur: ſed eorum ligna mors ſpreuit. Poſtremo dominicam crucem prodit reſurrectio, & ad ſalutaris ligni tactũ morte profuga funus excuſſum, & corpus erectum eſt; tremefactiſque uiuentibus ſtetit mortuus, & funebribus, ut Lazarus quondam, uinculis expeditus, ilico inter ſpectatores ſuos rediuiuus inceſsit. Ergo crux Domini tot operta ætatibus, & Iudæis in tempore paſsionis abſcondita, neque gentibus in ædificatione fani terram ſine dubio ad ipſam fabricam egerentibus reuelata eſt; nonne diuina manu latuit, ut nunc inueniretur cum religioſe quæreretur? Ita, ut crucem Chriſti decuit, experimẽto reſurrectionis inuenta, & probata crux Chriſti eſt, dignoq. mox ambitu conſecratur condita in paſsionis loco baſilica, quæ auratis coruſca laquearibus, & aureis diues altaribus arcano poſitam ſacrario crucem ſeruat, quã epiſcopus urbis eius quotannis, cum paſcha domini agitur, adorãdam populo princeps ipſe uenerantium promit. Neque præter hanc diem, qua crucis ipſius myſterium celebratur, ipſa quæ ſacramentorum cauſa eſt, quaſi quoddam ſacræ ſolennitatis inſigne profertur, niſi interdum religioſiſsimi poſtulent, qui ea tantum cauſa, illo peregrinati aduenerint, ut ſibi eius reuelatio quaſi in prçtium longinquæ peregrinationis deferatur, quod ſolum epiſcopi beneficio obtineri ferunt; cuius & tantum munere de eadem cruce hęc minuta ſacri ligni ad magnam fidei, & benedictionis gratiam haberi datur. Quæ quidem crux

 in ma-

in materia inſenſata uim uiuam tenens, ita ex illo «
tempore innumeris pene quotidie hominum uotis «
lignum ſuum commodat, ut detrimenta non ſen- «
tiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie diuiduã «
ſumentibus, & ſemper totam uenerantibus, ſed «
iſtam imputribilem uirtutẽ, & indetribilem ſoli- «
ditatẽ de illius profecto carnis ſanguine bibit, quę «
paſſa mortem non uidit corruptionẽ. Audiſtis quæ «
ſanctiſsimus epiſcopus de cruce referat: hoc de illa nobis clariſsimum teſtimonium reliquit. Videbor fortaſſe alicui longius progreſſus eſſe in aliorũ uerbis referendis, ſed quis finis ſeruari poteſt in eius uerbis, qui factis nullum charitatis modum adhibere nouit? quando ex opulentiſsimo diuite uoluntate pauperrimus factus, conſumptis rebus omnibus in officio pietatis ſe ipſum uendidit, ut captum a Vãdalis matri uiduæ filiũ reſtitueret. Congruens igitur, & conueniens fuit, ut tam bono charitatis magiſtro à Chriſto in cruce pro nobis pendente talia edocto uteremur, a quo diſcant Chriſtiani, quo honore ſit colenda Chriſti crux, cui ratione contactus (ut ſcholaſticorum theologorum uerbis utar) latriæ cultus debetur, qui ſolius Dei eſt. Agnoſcãt hæretici errorem ſuum, fateantur ignorantiam, eorum malitiæ grauiſsimam pœnam: antiquiſsimam eſſe in Chriſti eccleſia crucis uenerationem ab antiquiſsimo ſcriptore non dedignentur accipere, eiuſque ſententiæ acquieſcere. O Roma omnium urbium fortunatiſsima, ad quam poſtquam ſancta Hieroſolymorum urbs a barbaris expugnata eſt, & non ſine maximo chriſtiani nominis dedecore omni turpitudine ſanctiſsimum templum fœdatũ, ubi

In uita diui Paulini apud Lipomanum.



ubi omnium ſanctarum reliquiarum præſtantiſsima Chriſti crux ſeruabatur, ſancta, & ueneranda omnia translata ſunt; apud quam pars trophęi diuini amoris in humanum genus remanſit, quod uidere magnum quondam præmium longiſsimæ peregrinationis, ut audiſtis, erat iis, qui procul ex remotis orbis terrarum regionibus Hieroſolymã ad ſacra uiſenda loca petiiſſent. Ad cuius excellentiam demonſtrandam quid hoc maius addi poteſt, quàm quod eius ſignum tãti factum eſſe a ſanctiſſimis uiris legimus, ut [a] beata Paula, [b] & diuus Ioãnes Chryſoſtomus morientes ſe illo ſignarunt? [c] diuus Antonius, [d] & Hilarion contra dæmonum inſidias tamquam ad bellum non alio gladio utentes ſe accingebant? [e] & diuus Hieronymus Demetriadi uirgini ſcribens crucis ſignaculo crebro ſe munire monet, ne exterminator Aegypti in illa locum reperiat? Sed quid dico ſanctis uiris hoc ſignum adiumento fuiſſe, cum & impios per hoc a periculis, a morte, a dęmonibus ipſis liberatos eſſe ſciamus? Turcę etenim in frontibus cruce ſignati peſtilentiã effugerunt, ut auctor eſt Nicephorus? Iulianus Apoſtata chriſtiani nominis acerbiſsimus hoſtis, ut diuus Gregorius Nazianzenus refert; cum aliquando deſcendiſſet in quoddam aditum, pleriſq. inacceſſum, & horrendum cum homine magicarũ artium perito, ut cum dæmonibus de rebus futuris colloquium iniret, ſtatim in illa caligine terrores eum adoriri cœperunt ob formidoloſiores ſonos, inſuetos, tetroſq. odores, atque ignea ſpectra; quibus improuiſo perculſus ad crucem uetus remedium confugit, eoque ſe aduerſus terrorem ſignat

a D.Hiero. Tomo 1, epiſt.27.
b In uita apud Lipomanum.
c D.Hiero. Tomo 1. ĩ Paulo primo eremita.
d Idem Tomo 1. ĩ Hilarione eremita.
e Tomo. 1. epi.8.

Eccle. hiſt. lib.18.cap. 21.

In Iulianũ apoſtatam ĩuectiua 1.
A Freculpho Lexouienſi epiſcopo idẽ narratur, To. 2. lib. 4. cap. 9 & a Nicc ho

 fuerat

(fuerat enim miſer a puero chriſtianis moribus im butus) & ab eo, quem inſectabatur, per crucem auxilium ſibi exoptat. Mirabile quidem dictu, cedunt ſtatim uiſo ſigno laruæ, pelluntur dæmones, liber fit impius omni timore. Quamobrem ſi tantam uim ſigno ineſſe uidemus, qualem ipſi cruci Deum dediſſe credendum eſt? Veneretur igitur chriſtianus crucem ſanctam religionis noſtræ gloriam, & ſplendorem. Quod cum in alio loco cõuenientius fieri non poſsit, quam in eccleſia ei ſacra, ubi & crucis lignum, ut ſupra oſtendimus, ipſiuſque inſcriptio, & unus ex clauis, quo Chriſtus transfixus fuit, pari honore uenerandus non ſine maximo Dei beneficio reſeruatur, quam quo pietatis affectu ſit nobis adeundum, ipſa imperatorũ uxor, mater, & auia nos edoceat, cuius ex diui Paulini uerbis piam ſedulitatem cognouimus, & quaſi oculis octogenariam mulierem, cui uelut Aquila renouata eſſet iuuentus, conſpeximus ex Occidente in Orientem properantem. Sunt in hac eccleſia duo præcipua altaria. Primum eſt altare maius, ubi locata eſt ſanctiſsima euchariſtia, ſub quo etiam iacent corpora ſanctorum Cæſarij, & Anaſtaſii martyrum, ſacrum crucis lignũ, & aliæ uenerandæ reliquiæ ſeorſum collocatæ ſunt, & ex eminenti loco a dextera altaris populo certis anni diebus oſtenduntur. Subtus uero maius altare eſt ſanctiſsimum ſacellum Hieruſalem dictum, a quo eccleſia nomen habet, multis reliquiis refertum, cui conceſſæ ſunt indulgentiæ, & mulieribus in illud ingredi non permittitur, niſi 20. Martij, quę eſt dedicationis loci feſta dies. Super eius altare nemo

ſine



ſine Papæ licentia miſſam celebrare poteſt. In hac eccleſia tempore Symmachi Papę habita fuit tertia Romana ſynodus. In ea habitant monachi Ciſtercienſes congregationis Lombardiæ, & eſt titulus presbyteri Cardinalis, illamque uiſitantibus pluri mæ, ac continuæ indulgentiæ condonantur.

ro lib. 10. cap. 3. eccl. hiſt.

### *De eccleſia ſancti Laurentij extra Vrbis mœnia, in agro Verano.*

QVANTI antiquitas ſanctos martyres fecerit, quamque amplis monumentis conſecrauerit illorum memoriam; etſi ex multis nobis probatum, planumque ſit, tamen hinc maxime perſpicitur, quod cũ chriſtianiſsimus imperator Conſtantinus ſplendidiſsimas ædes ſanctiſsimi Saluatoris diui Petri, & Pauli, ac ſanctæ crucis in Hieruſalem edificaſſet, quintam, de qua nunc loquimur, ſancti Laurentij martyris eccleſię Archidiaconi adiũxit, ut [a] Damaſus, & uenerabilis [b] Beda ſcribunt, Damaſi uerba ſunt hæc Eodem tempore Conſtantinus Auguſtus fecit baſilicã beato Laurẽtio martyri uia tiburtina in agro Verano ſuper arenarium Cryptæ: & uſque ad corpus ſancti Laurentij martyris fecit gradus aſcenſionis, & deſcenſionis. Venerabilis Bedæ eadẽ ſunt uerba. Aequũ enim fuit, ut in ea urbe ubi inuictus martyr adoleſcens adhuc contra Chriſti hoſtẽ fortiter dimicãs martyrio coronatus fuit. Secundũ [c] Euſebium, [d] & uenerabilem Bedam ibidem ſacro hoc templo in ipſa eccleſiæ adoleſcentia illuſtraretur,

a In Silueſtro, Conc. Tom. 7.
b Tomo 2. de ſex ætatibus mundi in Conſtantino.
c Tomo 2. in chroni.
d Tomo 3. in martyrologio.



tur,

tur, cuius glorioſum certamen quomodo in ferrea craticula ſuper ardentes prunas poſitus uſque dum extremum emiſerit ſpiritum in Dei laudibus perſe uerans a ueræ fidei confeſsione numquã dimoueri potuerit[a] diuus Ambroſius[b] Auguſtinus,[c] Leo Papa[d] Maximus Taurinẽſis, & alij celeberrimi doctores certatim immortalibus laudibus celebrãt, atq. extollunt: cuius ſanctum corpus ab Hippolyto quem paulo ante ſanctus martyr baptizauerat, ſepultum fuit, ubi conſtructa eſt eccleſia: quæ, ne uno tantum cæleſtis gratię lumine clara eſſet, ſed duobus clariſſimis luminibus omnium oculi in illam conuerterentur, diui Laurentij corpore primum, deinde beati protomartyris Stephani illuſtrior facta eſt: & cuius ſanguine ſicut Hieroſolyma in oriente celebris fuit, ita ſepulchro in occidente nobilitaretur Roma, quo quis ſanctas tranſtulerit reliquias dubitatum eſt. Gennadius id Oroſio tribuit. Hic eſt Oroſius (inquit) qui ab Auguſtino pro ducẽda animæ ratione ad Hieronymum miſſus, reliquias beati Stephani primi martyris tunc nuper inuentas primus intulit occidenti, idemque confirmatur a uenerabile Beda. Sed quid dicemus, quod paulo infra idẽ Doctor contrarium huic refert, inquiens in eodem libro de ſex ætatibus mundi: Eudoxia uxor Theodoſij principis ab Hieroſolymis remeauit, beatiſsimi Stephani primi martyris reliquias, quæ in baſilica ſancti Laurentij poſitæ uenerantur, ſecum deferens. Dicemus ne non tantum a Gennadio diſſentire, ſed ſibi ipſi, quod abſurdius eſſet, non conſtare tantum uirum? Abſit a nobis huiuſmodi iudicium de illo ferre, qui ante octingentos annos floruit, &

doctrina,

a Tomo 3. ſermo.71.
b Tom.10. de ſanctis, ſermone 1.2.3.4.
c Sermone in natiuitate eiuſdem.
d De ſãctis Homi.1.2 &3.
Vene. Beda Tom.3. in martyrologio.
De uiris illuſtribus.
To.2. lib. de ſex ætatibus mundi in Honorio.
Ibidem in Theodoſio iuniore.



doctrina, ac iudicio excelluit, conciliarem tamen illum, & ſibi ipſi, & Gennadio hoc pacto: nec aliter res ſe habere mihi uidetur, quam ut Oroſius primus reliquias beati Stephani partem ſcilicet aliquã ſacri corporis in occidentem attulerit; reliquum uero maioremque partem, & fere totum, ut nunc Romæ ſeruatur, ac colitur, Eudoxiam ex oriente tranſtuliſſe aſſeueremus, maxime cum huic ueritati Theodorus lector aperte aſſentiat, inquiens. Sub Theodoſij iunioris imperio reliquiæ ſancti Stephani, Laurentij, & Agnetis in martyrio ſancti Laurentij depoſitæ ſunt, & celebratur illic ipſorum memoria uſque in hunc diem. Quomodo autem Hieroſolymis protomartyris corpus inuẽtum fuerit, & quam antiqua eius inuentionis ac ſolemnis memoria in eccleſia fuerit, ex his uenerabilis Bedæ uerbis colligitur. Hieroſolymis inuentio corporis ſancti Stephani protomartyris, & ſanctorum Gamalielis, Nicodemi, Abimon, ſicut reuelatum eſt a Domino beato Luciano presbytero ſeptimo Honorij Principis anno. Quot miraculis per illius reliquias Deus ſe magnũ oſtenderit, legatur inter alios diuus Auguſtinus de ciuitate Dei. Quam glorioſa martyrij palma lapidibus obrutus, præclaraque innumerabilium meritorum corona in cælum aſcenderit, quod adhuc uiuens apertum uidit, & Ieſum ſtantem a dextris uirtutis Dei, quod nam grauius teſtimonium ſacris, canoniciſque ſcripturis afferri poteſt? ad tam igitur glorioſum fortiſsimorũ Chriſti militum ſepulchrum effuſis prius pijs precibus ante maius altare, ubi ſacra euchariſtia poſita eſt, quãto timore, quave reuerentia pio, ac catholico chri

Collectaneorũ lib. 2.
Tom. 3 in martyrologio.
Tomo 5. lib.22. c.8.

 ſtiano

ſtiano ſit accedendũ, audiamus quæſo quid diuus Gregorius Papa referat de hoc ſanctiſsimo loco. Præter hæc autem, inquit, ſanctæ memoriæ deceſ« ſor meus (Pelagium ſecundum intelligit) itidem « ad corpus ſancti Laurentij martyris quædã melio- « rare deſiderans, dum neſcitur ubi uenerabile cor- « pus ipſius eſſet collocatum, & effoditur, exquiren- « do ſubito ſepulchrum ipſius ignoranter apertum « eſt, & ij qui præſentes erant, atque laborabant mo- « nachi, & manſionarij, qui corpus eiuſdem marty- « ris uiderunt, quod quidem minime tangere præ- « ſumpſerũt, omnes intra decem dies defuncti ſunt, « ita ut nullus uitæ ſupereſſe potuiſſet, qui ſanctum « & iuſtum corpus illius uiderat. Locus autem ſepul « chri eſt infra maius altare, ubi in alio ſepulchro ſe- pultus eſt ſanctus Iuſtinus martyr. Hinc dum egre dimur a dextera extat cœmeteriũ Cyriacæ ſanctiſsi mæ mulieris, ad quod per gradus deſcenditur, ubi cõdita fuere corpora ſanctorum martyrum Seueri, & Iuſtini presbyterorum, Claudij ſubdiaconi Romani Oſtiarij, Creſcentij lectoris ſub Xiſto Papa ſecũdo. Item corpora ſanctorum romanorum põtificum confeſſorum, Zoſimi, Xiſti tertij, & Hilarij: præter hos etiam corpora ſanctorũ martyrum Hippolyti, Concordiæ nutricis eius cum alijs XIX. familiæ ſuæ, Irenei, Habundij, Cyrillæ, Tryphoniæ, & aliorum multorũ, quorum nomina non habentur, cum pene infinitus ſit numerus. De hoc cum ſanctitate, tum uetuſtate inſigni cœmeterio in paſſione ſancti Hippolyti epiſcopi Portuenſis & martyris, Prudentius Poeta chriſtianus ita ſcribit.

Tomo 2. lib 3. regiſtri epi 30.

Innumeros



Innumeros cineres ſanctorum Romula in urbe
 Vidimus, o Chriſti Valeriane ſacer.
Inciſos tumulis titulos, ſi ſingula quæris
 Nomina, difficile eſt, ut replicare queam.
Tantos iuſtorum populos furor impius hauſit,
 Quum coleret patrios Troia Roma Deos
Plurima literulis ſignata ſepulchra loquuntur
 Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
 Marmora, quæ ſolum ſignificant numerum.
Quanta uirum iaceant congeſtis corpora aceruis
 Noſſe liquet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defoſſas mole ſub una
 Reliquias memini me didiciſſe hominum;
Quorum ſolus habet cõperta uocabula Chriſtus,
 Vtpote quos propriæ iunxit amicitiæ.
Hæc dum luſtro oculis, & ſicubi forte latentes
 Rerum apices ueterum per monumẽta ſequor:
Inuenio Hippolytũ, qui quondã ſchiſma Nouati
 Presbyter attigerat, noſtra ſequenda negans:
Vſque ad martyrij prouectum inſigne tuliſſe
 Lucida ſanguinei præmia ſupplicij.

Peri ſtephanon hymno II.

Quod de cœmeterio Cyriacæ intellegerit Prudentius contra nonnullos, qui uolunt eum his carminibus de cœmeterio Calliſti locutum eſſe, hæc me ad id affirmandum mouerunt. Primum, quod inter martyres, qui in cœmeterio Calliſti ſepulti ſunt, nemo eſt (ut ſcire potui) qui uocetur Hippolytus; in cœmeterio autem Cyriacæ & Hippolytum, & nutricem, & totam eius familiam ſepultam eſſe cognouimus. Sed ſi quis dixerit, Prudentium de Hippolyto epiſcopo Portuenſi loqui, cuius narrat

martyrium,

martyrium, non de illo, qui cum tota familia baptizatus fuit a beato Laurentio; & ideo hoc minime efficere: & an de uno magis, quam de altero poſsit intelligi: reſpondeo, me diu, multumque laboraſſe in cognitione rei perquirendæ, & adhibito etiam conſilio doctorũ uirorum neceſſe eſſe cognoui, fateri totam antiquitatem in ſummo errore circa hiſtoriã ſancti Hippolyti epiſcopi Portuenſis uerſatam eſſe, quæ erant unius alteri attribuendo. Inter quos fuit Prudentius; nam indomitis equis, ut ſuis inſerit carminibus, raptatum per loca carduis, & tribulis cõſita lacerato corpore Hippolytum a beato Laurentio baptizatum ſpiritum emiſiſſe, omnes ſanctorum hiſtoriæ clamant; de quo inter alios uenerabilis Beda. Romæ ſancti Hippolyti, qui tempore Decij, ligatis pedibus ad colla indomitorum equorum, & ſic per carduos, & tribulos tractus emiſit ſpiritum. Verum de Hippolyto Portuenſi uaria ſunt, quæ ſcriptores referũt, [a] Euſebius, & [b] diuus Hieronymus, cuius urbis fuerit epiſcopus ignorant: [c] Nicephorus, [d] & Zonara illum epiſcopum romani Portus faciunt: uenerabilis [e] Beda ſcribit Antiochiæ martyrium ſubiiſſe: in ueteri manuſcripto libro Achillis Statij, legi Alexandriæ docuiſſe, Chriſtumq. prædicaſſe; deinde deſiderio ductum ſanctorum ſepulchra uiſendi Romam ueniſſe, & apud Portum Chriſti fidem prædicantem pro Chriſto in foueã aqua plenam proiectum obiiſſe, & prope illam ſepultũ eſſe. Ac ut nota fiat hiſtoria a paucis adhuc cognita, cum non impreſſus ſit liber a quo, ut dixi, illam accepi, uerba ipſa ſubiiciam. Beatus Hippolytus, qui,

Tomo 3. ĩ martyrologio.

a Hiſt. eccl. lib. 6. c. 15.
b To. 1. de ſcriptoribus eccleſiaſticis.
c Eccl. hiſt. lib 4. c. 31.
d Tomo 2. in Alexandro Mammeæ filio.
e Tomo 3. in martyrologio.

&



„ & Nonus dicitur cuius prædicatione Alexandria
„ conuerſa fuerat, limina apoſtolorum uiſitare cu-
„ piens, Romam adiit: ſanctorum ſepulchra ubi-
„ cũque in locis uel cœmeteriis inuenire potuit, cu-
„ rioſiſsime requirebat: ibique dignas Deo laudes
„ referens, diu noctuq. orationibus perſiſtebat: poſt-
„ modum uero ad Portum tiberinæ urbis properãs,
„ Spiritus ſancti gratia reuelante, uerbum uitæ, qui-
„ bus poterat cum miraculorũ indiciis prædicabat.
„ Denique poſtquã multa diuinorum librorum cõ-
„ menta edidit, & beatam uirginem Auream pro
„ Chriſto paſſam ſepeliuit: cum Vlpium Romulum
„ urbis Romæ uicarium reprehenderet, quod chri-
„ ſtianos crudeliter damnaret, ipſius uicarij præce-
„ pto ligatis manibus, & pedibus in foueã aqua ple-
„ nam præcipitatur: ſicque cum martyrij triumpho
„ ad Chriſtum perrexit. Tunc audita eſt quaſi uox
„ infantium dicentium, Deo gratias: qua uoce audi
„ ta Vlpius Romulus dicebat: modo pateſiunt artes
„ magicæ: nonne auditis conſolationes dæmonum?
„ Precioſiſsima autem ſancti martyris anima cum
„ huiuſmodi laudis uoce cælum penetrauit. Vnde
„ non dubium eſt angelica illic ſolatia conſortij ad-
„ fuiſſe: chriſtiani uero noctu leuauerũt corpus eius
„ de puteo occulte, & cum hymnis, & laudibus, om-
„ nique ueneratione ſepelierunt in eodem loco non
„ longe ab ipſa fouea, ſcilicet quaſi pedes plus mi-
„ nus quadraginta, in inſula, quæ ab uno latere habet
„ mare, a duobus diuiſione aluei Tiberis cingitur,
„ uigeſima ſecunda die menſis Auguſti: ubi quotidie
„ præſtantur Chriſti beneficia, & fructus operũ ſan-
„ cti martyris exuberant uſque in præſentem diem.

Omnes

Omnes quidem de ſanctitate uiri, & de doctrina conueniunt; de tēpore, quo uixit ſub Alexandro Mammeę filio, quodque Nouato aliquando conſenſerit, nulla diſcrepantia eſt: de loco, ubi epiſcopus præſuerit, & martyrij palmam conſecutus ſit, maximam controuerſiam eſſe uideo ob multas cauſas, præter hanc ſcriptorum uarietatem, quas nunc commemorare, neque loco, neque tempori conuenit. Huius ſtatua ſuperioribus annis non lōge ab eccleſia ſancti Laurentij, & cœmeterio Cyriacæ inuenta fuit; quod non parum antiquorum errorem confirmare uidetur; qui, ut credere licet, cum audiſſent eo in loco ſepultum Hippolyti corpus, exiſtimantes illud eſſe Portuenſis epiſcopi, eius ibi ſtatuam poſuerunt. Quid mirum igitur ſi Prudentius quamuis doctiſsimus ex Hiſpania Romā, ueniens (erat enim Hiſpanus) ignorauit, quod qui Romæ nati, & nutriti erant, omnino neſcire uidebantur? cuius tam ſancti cœmeterij accuratiorem deſcriptionem idem refert his uerſibus, paulo poſt illos, quos ſupra poſui.

Ibidem ut ſupra.

Metando eligitur tumulo locus, oſtia linquunt,
Roma placet, ſanctos quæ teneat cineres.
Haud procul extremo culta ad pomaria uallo
Merſa latebroſis Crypta patet foueis.
Huius in occultum gradibus uia prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primas namque fores ſummotenus intrat hiatu,
Illuſtratque dies limina ueſtibuli.
Inde ubi progreſsi facili nigreſcere uiſa eſt
Nox obſcura loci per ſpecus ambiguum;
Occurrunt



Occurrunt celſis immenſa foramina tectis,
Quę iaciunt claros antea ſuper radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde receſſus
Arcta ſub umbroſis atria porticibus.
At tamen exciſi ſubter caua uiſcera montis
Crebra terebrato fornicæ lux penetrat.
Sic datur abſentis per ſubterranea ſolis
Cernere fulgorem, luminibusq. frui.
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
Propter ubi apposita eſt ara dicata Deo.

De eccleſiæ autem antiqua pulchritudine in eodem loco.

Ibidem.

Stat, ſed iuxta aliud, quod tanta frequētia templū
Tunc adeat cultu nobile regifico.
Parietibus celſum ſublimibus, atque ſuperba
Maieſtate potens, muneribusq. opulens.
Ordo columnarum geminus laqueria tecti
Suſtinet auratis ſuppoſitus trabibus.
Adduntur graciles tecto breuiore receſſus,
Qui laterum ſeriem iugiter extenuent.
At medius aperit tractus uia latior alti
Culminis, exurgens editiore apice.
Fronte ſub aduerſa gradibus ſublime tribunal
Tollitur, antiſtites prædicat unde Deum.

Ex quibus ſatis aperte colligitur, non de ſancti Sebaſtiani eccleſia, in qua neque columnas, neque aliquid marmoreum fuiſſe legimus: ſed de baſilica ſancti Laurentij locutum fuiſſe. Quæ licet conlapſa inſtaurata fuerit, tamen priſtinam formam in ea ſeruatam eſſe uidemus ex porticu, ex pulpitu, ex choro, ex antiquiſsimis columnis, & ex marmoreis ornamentis, quibus undique nitet.
Et

Et quoniam de cœmeterio diuæ Cyriacæ multa diximus, quæ nam illa fuerit, ut legi apud uenerabilem Bedam in ſermone die ſancti Laurentij habito nō prætéribo. Fuit. n. hæc ſanctiſsima mulier uidua xxxij. annis, in cuius domo beatus Laurentius theſauros eccleſiæ pauperibus diſtribuit, quam impoſitis ſuper caput eius manibus, cum diu infirma fuiſſet, mirabiliter idē ſanctus ſanauit. Et inter alia quæ pie, & religioſe ab illa facta fuerunt, hoc ſanctiſsimum cœmeterium ſacro martyrum cruore adorandum extat adhuc, in quo ſuper altare ibi erectum miſſas celebrantibus ſunt pro mortuis cōceſſæ indulgentiæ: itidemque quotidie eccleſiam adeuntibus. In illa eſt retro maius altare marmorum pontificis ſolium, ſicut in aliis eccleſiis patriarchalibus: tres habet portas, & porticum. In illa ab Honorio tertio data ſunt imperij inſignia Petro imperatori Conſtantinopolitano, qui cum Iole uxore Romam uenerat. Fuit iuxta illam antiquum Cluniacenſium monaſterium, ex quo prodierunt ſancti Ioannes Ficocia Romanus Abbas, Gregorius ſeptimus Soanenſis, & Paſchalis ſecundus Romani Pontifices. Nunc autem habitatur a Canonicis regularibus, qui Scopetini dicuntur. Eccleſia Cardinali alicui commendari ſolet.

*Tomo. 7.*

*In Honorio apud Platinam.*

De



### *De eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris.*

QVID aliud, peracto iam curſu huius noſtræ ſacræ peregrinationis, nobis optandum erat, niſi ut tam ſancto inſtituto ſanctiſsimus quoque daretur finis? quod omnino compleri uidemus, dum ſeptima ſanctiſsimæ uirginis Mariæ eccleſia terminus illi conſtituitur, quam ultimam non dignitate, ſed myſterio quaſi laſsis requiem, & portum nauigantibus in fine poſuimus. Hanc, ut ab eius antiquitate incipiamus, pluribus nominibus olim appellatam eſſe legimus. Nam Fauſtinus, & Marcellinus presbyteri, qui eo tempore, quo condita fuit, uixerunt, in libro, quem Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio ſcribunt, cum dixiſſent, Damaſum epiſcopum ordinatum eſſe in Lateranenſi baſilica, hæc ſubiungunt. Plebs fidelis, cui concurrens presbyteros illos ſeptem detentos eruit, & ad baſilicam Liberij ſine mora perduxit. Idemque uenerabilis Beda, & liber pontificalis romanus, quod uocata fuerit eccleſia Liberij, confirmant, ſub cuius pontificatu, ut ex bulla Nicolai quarti accepimus, quæ in bibliotheca uaticana ſeruatur, oſtenſo prius ſancto pontifici per niuis miraculum loco, ubi conſtruenda eſſet, ædificata fuit, cumque parum hiſtoria niuis ſit cognita, uerba bullæ, ex quibus tantum de miraculo liquet ſubiungam. Cupientes igitur ut eccleſia noſtra (ait ſanctus Pontifex) ad honorem uirginis eiuſdem cōſtructa, eius quidem ſtructuram glorioſus Deus in ſanctis

*Hui' libri exemplaria manuſcripta habentur in uaticana bibliotheca.*

*Tom. 2. de ſex ætatib' mūdi in Liberio.*

*Bulla Nicolai IIII.*

ſanctis ſuis per immiſsionē niuis æſtus tēpore mira "
biliter indicauit, congruis honoribus frequētetur. "
Eadē dicta etiā eſt ſancta Maria ad Præſepe ob ſan-
ctiſsimū locum, ubi Chriſtus natus eſt ex, Bethleē il
luc tranſlatum : aliquando baſilica ſanctæ Mariæ
Maioris eo quod illa prima fuit earum, quas uirgi-
ni erectas fuiſſe legimus: a nonnullis dicitur baſili-
ca Xiſti, inter quos uenerabilis Beda ſcribit, Xiſtus "
Romæ epiſcopus fecit baſilicam ſanctæ Mariæ ma "
tris Domini, quæ ab antiquis Liberij cognomina- "
batur. Hadrianus primus de ea loquitur in eo li- "
bro, quem Carolo Magno pro defenſione ſancta-
rum imaginum miſit, ubi nomina huius eccleſiæ
complectitur his uerbis. Beatus Xiſtus Papa baſili- " (Conc. Tomo 3.)
cam ſanctæ Dei genitricis Mariæ cognomento Ma "
iorem, quæ ad Prēſepe dicitur, tam in metallis au- "
reis, quam in diuerſis hiſtorijs, ſacriſque decorauit "
imaginibus, iuxta hāc ſecundum Bibliothecarium, " (In Simplicio.)
Simplicius papa fecit baſilicām ſancti Andreæ apo
ſtoli: Gregorius ſecundus eodem auctore Monaſte- (In Gregorio 2.)
rium inſtituit: Symmachus, ut in eius uita legitur, (In Symmacho.)
Oratorium in illa ædificauit ſanctorum Coſmi, &
Damiani: Gelaſius ante fores huius baſilicæ iuſsit
cremari libros Manichæorum. Pontificalis uerba
ſunt hæc. Gelaſij temporibus inuēti ſunt Manichei " (In Gelaſio.)
in urbe Roma, quos in exilium deportari præcepit, "
quorum quoque codices ante fores baſilicæ ſanctæ "
Mariæ incēdio cremauit. Vbi notandum eſt ad ma
iorem dignitatem huius eccleſiæ agnoſcendam ſi-
cut hic legimus, quod omnes ſcriptores quando di
cunt eccleſiam ſanctæ Mariæ nil aliud addentes, ec-
cleſiam ſanctæ Mariæ Maioris intelligūt, ut multis
exemplis



exemplis probari poteſt. Inter quæ illud eſt anti-
quiſsimum ex pontificali, cum dicit, quo in loco
conciliū Romanum ſub ſancto Pontifice Hilaro (Conc. Tomo. 1. ī Hilaro.)
" habitum ſit, his uerbis. Hilarus fecit conſtitutum
" de eccleſia in baſilica ad ſanctam Mariam. Neque
de alia poteſt intelligi, cum ſola hæc ex eccleſijs bea
tæ Mariæ ſacris baſilica dicta ſit, quæ ab initio
una ex quinque Patriarchalibus fuit. Nam uſu id
experimur, quod quando Romæ nominatur eccle-
ſia ſancti Ioannis, ſiue ſancti Petri, nemo eſt, qui
de Lateranenſi, & Vaticana dubitet eſſe intelli-
gendum, quamquam plures eccleſiæ in urbe extent,
quæ iiſdē ſanctis ſint dicatæ. Idem de multis alijs
euenit, quod cur non de hac factum eſſe credamus?
cui tantum honoris antiquitas detulit, ut Ioannes (Ex lib. pōtificali in B. Ioanne.)
primus, a quo diſtributa fuerunt munera a Iuſtino
Imperatore eccleſijs urbis miſſa, hanc poſt beati Pe-
tri & Pauli tertiam adnumerauerit? & Cōſtantinus (Ex ueteri manuſcripto libro.)
tertius tempore Vitaliani Pontificis Romā ueniens
poſt eccleſiam ſancti Petri pari pietate, & munifi-
cētia die ſabathi ſanctam Mariam Maiorem adijt,
amplaque illi dona obtulit, ſicut beato Petro fece-
rat? In hac eccleſia ſoliti ſunt Romani pontifices
miſſas celebrare: cumque id aliquando a Martino
ſanctiſsimo papa peragereturr, huiuſmodi miraculo
Deus & uiri innocentiā tutatus eſt, & loci ſancti-
tatem demonſtrauit; quod ut ex Pontificali acce-
" pi, iiſdem uerbis exponam. Olympius ueniens in (In D. Martino.)
" Ciuitatem Romam, & uolens adimplere, quæ ei
" iuſſa ſunt (iuſſerat enim illi Conſtans imperator
" Heraclij nepos, ut Martinum interficeret) arimans
" ſe cum exercitu uirtutis, uoluit ſchiſma ſanctæ ec-
G cleſiæ

cleſiæ intromittere, & non illum permiſit omnipotens Deus, quæ nitebatur perficere. Videns ergo ſe a ſancta Dei catholica, & apoſtolica eccleſia ſuperatum, neceſſe habuit de ſua quaſi mala intentione declinare, & quod non potuit per manum armatam facere, ſubreptitio modo per miſſarum ſolennia niſus eſt implere. In eccleſia enim Dei genitricis, ſemperque uirginis Mariæ ad præſepe dum ei communionẽ porrigeret ſanctiſsimus Papa, uoluit interimere eum ut demãdauerat ſuo ſpathario: ſed Deus omnipotens, qui ſolitus eſt ſeruos ſuos orthodoxos circumtegere, & ab omni malo eripere, ipſe excecauit ſpatarium Olympi exarchi, & non eſt permiſſus uidere pontificẽ quando exarcho communionem porrexit, uel pacem dedit, ne ſanguis eius effunderetur, & catholica Dei eccleſia hæreſi ſubiugaretur: quod poſtmodum prædictus armiger diuerſis hominibus cum iureiurando profeſſus eſt. Videns ergo Olympius exarchus, quia manus Dei circũtegebat Martinum ſanctiſsimum papam, neceſſe habuit cum pontifice concordiam inire, & omnia, quæ iuſſa fuerant, eidem uiro indicare. Cauſam huius ſacrilegij fuiſſe inuenimus, quia Conſtãs in Monothelitarum hæreſim lapſus fuerat quã (ut in eodem pontificali legimus, itemque apud Zonaram) cum uehementer inſectatus eſſet Martinus, cõciliumque Romæ cẽtumquinque epiſcoporum ad eam tollendam habuiſſet, in quo Cyrum, Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Conſtantinopolitanos condemnauerat, adeo animum imperatoris offenderat, ut tam ſcæleſtum facinus committere non eſſet ueritus. Quid de Eugenio Papa

Tomo 3. In cõſtãte.

Concil. Tomo 2.

dicam,



dicam, ut ad rem noſtram redeamus, cui quaſi tũc nulla maior uindicta inferri uideretur a clero, & populo interdictum fuit, ne in eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris ſacrificaret, niſi Petri Conſtantinopolitani ſacrilegas literas reieciſſet, tanta erat illius eccleſiæ dignitas. Sed ut tam præclarum factum melius percipiatur, ad ipſa pontificalis uerba recurramus. Eugenij temporibus Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus direxit ſynodicam ad ſedem apoſtolicam iuxta conſuetudinem, omnino obſcuriſsimã, & ultra catholicam regulam, non autem declarans operationes, aut uoluntates in Domino noſtro Ieſu Chriſto: & accenſus populus uel clerus eo quod talem ſynodicam direxiſſet, minime ſuſceperũt eam, ſed cum maiore ſtrepitu a ſancta Dei eccleſia proiecta eſt, ut etiam nec eundem Papam dimitteret populus, uel clerus miſſas celebrare in baſilica Dei genetricis, ſemperque uirginis Mariæ, quæ appellatur ad præſepe, niſi promiſiſſet his ipſe pontifex minime eam aliquando ſuſcipere. Quod autẽ præcipue in hac baſilica pontifices in die natalis Domini, & reſurrectionis celebrare conſueuerit, ex homilijs, quas ſanctus Gregorius habuit ad populum ſuper illud Euangelij, Exijt edictum a Cæſare Auguſtus, ut deſcriberetur uniuerſus orbis: & in die Paſchæ ſuper illud, Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Solomæ emerunt aromata: manifeſte apparet. Nam Ioannes diaconus ſcribit, ſanctum pontificẽ ſemper ſolitũ fuiſſe facere ad populum uerba ſuper euangelia, ubi erant ſtationes; ex quo habemus tẽpore ſancti Gregorij illic fuiſſe has ſolemnes ſtationes. Apud Guglielmum Anglicum chronicorum

In Eugenio.

Lucæ. 2. a

Mar. 16. a

In D. Gregorio.

Guglielmus Anglicus.

 ſcriptorem

ſcriptorem probatiſsimum legitur, quod cum ſanctus Gregorius in hac ſanctiſsima baſilica miſſam celebraret; & ad illud perueniſſe quando dicitur Pax Domini ſit ſemper uobiſcũ, ab angelis e cælo ei reſponſum fuiſſe, & cum ſpiritu tuo. Quare ex eo tempore cum Pontifex ibi celebrat ob memoriam, ac uenerationem eiusrei a clero non reſpondetur amplius uerbis illis, Pax Domini ſit ſemper uobiſcum, & cum ſpiritu tuo. Liber manu ſcriptus in quo hoc inueni ſeruabatur olim in bibliotheca Marcelli ſecundi pontificis, quam hoc anno nullis parcens impẽſis emit doctiſsimus uir Guglielmus Sirletus S. R. E. Cardinalis ampliſsimus, penes quem inter innumeros, rariſsimoſque græcos, ac latinos libros hic etiam extat. Erant (ut diximus) ſecundum Innocentium III. Romæ quinque patriarchales eccleſiæ, ex quibus non ſolum una eſt eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris, uerum cum idem tradat tres exiſtere, ubi Papa pontificatus inſignia ſolebat accipere, ſolẽnique ritu miſſas celebrare, poſt Lateranẽſem, & Vaticanã hæc una erat, & hac de cauſa in maioribus illarum altaribus ſolus Papa celebrabat. Quando autem id ille agere aliquo impedimento prohibebatur, per literas, quas breues dicũt, alicui ex cardinalibus concedebatur, ut ex regiſtris pontificum, qui Auinione morabantur, uidere poſſumus; tunc enim ab urbe abſens Papa Cardinalibus Romæ præſentibus huiuſmodi munus demandabat, quod adhuc etiã ſeruatur. Hinc eſt, ut hæ tres nunc habeant Archipresbyteros Cardinales, qui illarum clero præſunt. Quatuor deinde ſunt eccleſiæ, in quibus Pænitentiarij conſtituti

In manuſcripto libro Vaticanæ bibliothecæ.

ſunt,



ſunt, quę anno Iubilei uiſitari ſolent, & portæ ſanctæ aperiũtur. Ex eis hæc una eſt tribus adiuncta a Gregorio undecimo Papa, cuius hæc ſunt uerba.

Gregorius XI. bulla.

„ Conſiderantes, & intra noſtræ mentis arcana reuol„ uentes qualiter glorioſus Deus in ſanctis ſuis, & in „ maieſtate mirabili opera manuũ ſuarũ mirificans, „ olim miro diſpoſuit ordine eccleſiã B. Marię Maio„ ris de urbe fundari, atq. cuſtodiri, & ſubſequenter „ etiã dedicari, & qualiter etiã ipſe Deus in eccleſia „ ipſa omni ueneratione colenda, ob interceſsionẽ „ eiuſdem beatæ uirginis (ut pie creditur) multa „ operetur miracula, & ideo ex his, & ex aliis certis „ rationabilibus cauſis cupientes, ut dicta eccleſia „ beatæ Mariæ Maioris pariter cum baſilicis apoſto„ lorum Petri, & Pauli, atque eccleſia Lateranenſi „ præfatæ indulgentiæ priuilegio decoretur, auctori„ tate apoſtolica, & ex certa noſtra ſcientia uolumus, „ ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod quicunque „ Chriſti fideles, qui huiuſmodi indulgentiam Cle„ mentis prædeceſſoris noſtri aſſequi uoluerint, præfa„ tam eccleſiam ſanctæ Mariæ Maioris ſicuti & baſi„ licas, atque eccleſiam Lateranenſem prædicti uiſi„ tare debeant, & teneantur. Ex quibus uerbis notandum eſt, non ſolum illam anno iubilei parem factam eſſe, ſed quod illius etiam principium miraculo non caruerit, ut ſupra iam oſtendimus. Et ut ne quid nobiliſsimę eccleſię deeſſe uideatur, quis non uidet inter urbis eccleſias hanc unã ædificiorũ ſplendore eſſe marmore, & auro undique fulgentẽ? Habet orientem uerſus porticum, quam nunc Gregorius XIII. a fundamentis denuo ædificare ſumma celeritate curat. Sub hac porticu præter por

 tam

tã iubilei a læua ingreſſus tres portæ ſunt, per quas cum quis eccleſiam intrauerit, a dextera eſt imago ſancti Crucifixi miraculis ueneranda. Poſt hanc accedendum eſt ad ſanctiſsimum Sacramentum, quod in medio fere eccleſiæ ſeruatur a dextera ſuper altare reliquiarum : a cuius læua, ut in præcelſo atque edito loco, ſumma reuerentia collocata eſt antiquiſsima Mariæ uirginis Dei matris imago innumerabilibus miraculis inſignis: de qua inter multa, quæ leguntur, non mihi tacendum puto ſummum, immortaleque beneficium in populum romanum in hanc almam urbem per illam a Deo collatum tempore Leonis Papæ quarti, quod a Pandulpho Hoſtiario, de quo ſupra mentionem fecimus, ita narratur. In primo pontificatus Leonis anno, iuxta baſilicam ſanctæ Luciæ uirginis, quæ in Orfea ſita eſt, in quibuſdam tetris, abditisq. cauernis diri generis ſerpens, qui baſiliſcus græce, latine regulus dicitur, ortus eſt: qui flatu ſuo, ac uiſione omnes, qui ad eaſdem properabant cauernas, celeriter necabat, mortisq. tradebat periculo, ita ut omnes ſtupor, ac timor inuaderet ſerpentis uirtutes mirantes, & cladem. Ipſe uero beatiſsimus, & præclarus pontifex hanc populi necem audiens, & perniciem, in orationibus ſe conuertit, atque ieiuniis Dominum deprecari non ceſſans, ut ab huiuſmodi omnes interitu liberaret. Dum hæc agebãtur, præclarus & celeberrimus dies aduenit, in quo beatæ Dei genitricis, ſemperq. uirginis Marię aſſumptio celebratur. Tunc præfatus, & uniuerſalis pontifex a patriarchio tum hymnis, & canticis ſpiritualibus ſancta pręcedẽte icona ideſt imagine ad baſilicam

In B. Leone IIII.



baſilicam ſancti Adriani martyris, ſicut mos eſt, proprijs pedibus cum clero perrexit, de qua regreſſus cum omnium fidelium cœtu ad baſilicam beatæ Dei genitricis, & domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ ad Præſepe dicitur, cum Dei laudibus magna concomitante caterua populi properabat: qui cum perueniſſet ad locum, in quo ipſe ſæuiſsimus baſiliſcus tetris, ut iam ſuperius diximus, iacebat cauernis, omni populo, & clero ſtare pręcepit, atq. iuxta eaſdem cauernas properãs, ſuper cauernas, unde ipſius peſtiferi flatus egrediebantur ſerpentis, intrepidus ſtetit, & oculos ad cælum pariter tetendit & palmas; Chriſtum, qui eſt ſuper omnia Deus, profuſis lacrymis deprecatus eſt, ut ab eodem loca diri ſerpentis genus ſua potentia effugaret; & data ſuper populum benedictione, Dei laudes ad baſilicam, quam ſupra memorauimus, profectus eſt exhibere. Ab eodẽ uero die ipſe peſtifer baſiliſcus ita effugatus, atque ex ipſis proiectus eſt antris, ut ultra in illis locis, & nulla læſionis macula apparuerit. Leo præfuit eccleſiæ ante ſeptingẽtos annos, unde una cum ſanctitate uetuſtas imaginis agnoſcitur, ad quam conſueuere ſemper ſancti romani pontifices totius populi concurſu, cum in ſummo diſcrimine chriſtianam rempublicam cernerent, ſupplices diuinam miſericordiam imploraturi, cõfugere. Die autem aſſumptionis beatæ uirginis cõſuetudine receptum erat, hanc ſanctiſsimam imaginem in media eccleſia populo ſpectandam ponere, & in ſolemni ſupplicatione cum imagine ſancti Saluatoris Lateranenſis eadem die ingenti pompa deferri. Quod nunc omnino intermiſſum eſſe uidemus,

demus, inter altare virginis, & reliquiarum eſt maius altare, ubi reconditum eſt corpus ſancti Matthiæ apoſtoli. Ab huius dextera in paruo, atq. antiquo ſacello eſt ſacroſanctum Domini noſtri Ieſu Chriſti præſepe, in quo pro hominibus Dei filius
Lucę 2.a homo natus reclinari dignatus eſt, & qui continet omnia, ipſe a nullo continetur, homo factus contineri cæpit; ubi primum, & poſtremo naturæ iura immutata ſunt, uirgo dum parit, & uirgo poſt partum permanſit. Et quo nam alio loco dignum erat tam memorabile monumentum, quam caſtiſsimo uirginis templo? relictus eſt Hieroſolymis in occidente Caluariæ mons, qui natura eſt immobilis, ubi a Chriſti uulnere paſtus eſt mundus; ad nos in occidentem translatum eſt e Bethleem præſepe, ubi a uirginis ubere cum Chriſto lactari poſſumus, &
Lucę 2.b cum angelis Deo gloriam canere. O rem potius admirandam, quam uerbis ullo modo explicandã. Cuperem equidem angelorum linguis loci amplitudinem, ac dignitatem celebrare, quod cum mihi minime concedi uideam, utar linguis ſaltẽ eorum, qui parem angelis in terris uitam egerunt. Audiamus igitur diuũ Hieronymum relicta urbe, ſpretis honoribus, neglectis diuitijs ad eum tamquam ceruum ad fontem aquarum longa ſiti laborantem ex Italia properantem: his enim uerbis uir ſanctiſsimus Domini præſepe ipſi urbi Romæ an-
Tomo 1. epi 18. teponit. Vt ad uillam Chriſti, & Mariæ diuerſoriũ " ueniamus (ad Marcellam ſcribit, illam inuitãs ad " rus Bethlehemiticum) quo ſermone, qua uoce ſpe " luncam tibi Saluatoris exponam? Et illud præſe- " pe, in quo infantulus uagiit, ſilentio magis, quam " infimo



„ infimo ſermone honorandum eſt. Vbi ſunt latæ „ porticus? ubi aurata laquearia? ubi domus miſerorum pœnis, & damnatorum labore ueſtitę? ubi „ opibus priuatorum extructa palatia? ut uile corpuſculum hominis pretioſius inambulet, & quaſi „ mundo quidquam poſsit eſſe ornatius, tecta magis „ ſua uelint aſpicere, quam cęlum? Ecce in hoc paruo terrę foramine cælorum conditor natus eſt, hic „ inuolutus pannis, hic uiſus a paſtoribus, hic demõſtratus a ſtella, hic adoratus a Magis, & hic puto locus ſanctior eſt Tarpeia rupe, quę de cælo ſępius Tomo 1. epiſt. 27.
„ fulminata oſtendit, quod Deo diſpliceat. Idem ad Euſtochium uirginem ſcribens, cum aliquãdo Paula mater nobiliſsima matrona Romana illuc perueniſſet, hęc dixiſſe, refert. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes eius: & ego miſera, atque peccatrix digna ſum iudicata deoſculari pręſepe, in quo Dominus paruulus uagiit? orare in ſpelunca in qua uirgo puerpera dominum fudit infantem? Hæc requies mea, quia domini mei patria eſt, hic habitabo, quoniam Saluator elegit eam, paraui lucernam Chriſto meo, anima mea illi uiuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi. Tomo 1. epiſt. 27. Pſal. 131. Pſal. 131.

Quod quàm præclare ſancta mulier perfecerit, & monaſteria uirorum, ac mulierum ab ea illic conſtructa, & uita, quam inter uirgines Deo ſacras uiginti annis ſanctiſsime egit, teſtantur, ubi etiam mortua ſepulta iacuit, ſemen autem eius Deo ſeruiuit, cum poſt eius mortem eidem monaſterio pari ſanctitate Euſtochium filia pręfuerit, diuinis laudibus aſsiduę uacans. Quid de diuo Hieronymo dicam, qui ſicut dum uiueret omnibus, quæ in terris

ris ab homine deſiderari poſſunt, ſacrum Domini
Tom.1. In uita ipſius. præſepe præpoſuit, & moriens ibidem ſibi ſepulchrum elegit, ita multis annis poſt ab eo neque diuelli eum, ac ſeparari permiſit Deus: prope quod ſub marmoreo altari eius corpus clarum multis miraculis aſſeruatur. Quis præclariſsima exẽpla ſanctorum ſibi imitanda proponens in hunc angelis, pariterque hominibus colendum, atque adorãdum locum non ſe commoueri, concitari, rapi ſentiet? Eſt uiris imitandum exẽplum diui Hieronymi ſanctiſsimi uiri doctoris eccleſiæ prẹſtãtiſsimi, in quo pænitentiæ, ſanctitatis, uirtutumq. omnium imago apparet. Habent quam ſequantur mulieres Paulam nobiliſsimam fœminam ex Corneliorum, & Gracchorum familijs ortam, ex ditiſsima pauperẽ ob Chriſtum effectam. Non iam amplius in Paleſtinam ad uiſendum domini præſepe nobis eundũ eſt, uenit ipſum ad nos (ſi ita loqui licet) iã enim tempore diui Hieronymi ex illo ſanctum Deo altare factum erat, ut ad Sabinianum ſcribit. Hoc poſtea Romam tranſlatum eſt, & in hac eccleſia lo-
Tomo 1. epiſt. 48. catum: quam ſicut finem ſanctæ huius peregrinationis conſtituimus, ita in ea locum, a quo totius mundi ſalus orta eſt, ad hoc elegimus. Diximus enim in principio libri, quod dum a piis hominibus uiſitabantur hæ ſeptem urbis eccleſiæ, quod inter alia per illas eis meditandum erat nil aliud hanc uitam eſſe, quàm plenam omnium miſeriarũ, ęrumnoſam peregrinationem, cuius quidem uſq. adhuc principium, ut progreſſui ſimile, ita finem utriſque non diuerſum uidemus. Quid nobis ab eccleſia ſancti Petri initium, quod fecimus per crucem



cem repreſentauit? quid per lacrymas, quid per labores ſancti apoſtoli, niſi in ipſo introitu ortus noſtri poſt primi parentis culpam lacrymabilem pœnam? etenim vt aues aduolandum, ſic homines Iob. 5. a
ad labores & miſerias naſcuntur? Quid diuus Pau 2.Cor.9.c
lus in laboribus plurimis, in carceribus abundantibus, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter a Iudæis quaſi præuaricator legis animaduerſus, ter uirgis cæſus, ſemel lapidatus, ter naufragium nocte, & die in profundo maris perpeſſus, in itineribus ſępe, periculis in ciuitate, in ſolitudine, in mari, in falſis fratribus, in labore, & ęrumna, in vigilijs multis, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate? Quid poſt hæc datis ceruicibus crudeliſsimo carnifici mortem velut magnum quoddam prẹmium tot malorum, quæ ob Chriſti inuiolatam fidem ſubſtinuit, conſtanter excipiens in eccleſia ſua nos edocet? Quid Sebaſtianus ſagittis toto corpore transfixus? Quid horribilis ſtrages tot martyrum in ſancti Caliſti cœmeterio, qui dum mortui tacere videtur, parietes, ipſaque tellus ſanguine eorum conſperſa nobis pro illis aperte loquuntur, dicentes, hanc eſſe viam, per quam qui hic pie in Chriſto cupiunt viuere, & in cælo ſempiterna 1. Tim.3.c
beatitudine frui, incedendum eſt? In medio uero itinere quid Lateranenſem eccleſiam triumphantis Hieruſalem in terris figuram repręſentantem, nobis indicare credimus, niſi illam firmã ſpem, qua dum quaſi fluctibus calamitatum, ac miſeriarũ, in magno, atque ſpatioſo mari huius uitæ iactamur, omnia Dei ope, & auxilio ſuperare confidimus, Rom. 8.c
certo ſcientes non eſſe condignas paſsiones huius temporis

Iſaiæ.46.b temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in
1.Corin.2. b.c. nobis, cum nec auris audiuerit, nec in cor hominis
aſcenderit, quæ Deus præparauit diligentibus ſe.
Quid aliud in eccleſia ſãctæ Crucis in Hieruſalem
Ioan 3.b nobis intuendum, propoſitum eſt, niſi nimia illa
Dei charitas, qua ſic dilexit mundum, ut filium
1. Cor.1.d ſuum turpiſsimæ morti traderet, niſi illa crucis ſapientia, quæ ſcandalũ, & ſtultitia multis facta, pernicies, atque exitium fuit, electis autem ſalus, atq. æterna gloria, a qua exoritur in nobis diuitiarum honorumque contemptio, æſtuantium libidinum refrigeratio, atque extinctio, miſeriarum leuamen, malorumque omnium remedium? Et tandem hinc fit in nobis ea animi conſtantia, atque firmitas, ut blandicijs minæ, aulis regum obſcuriſsimi carceres, honoribus ignominię, diuitijs paupertas, & ferrum, ignis, crux, beſtiæ, confractio oſsium, mem brorum diuiſio, totius corporis contritio, omnia diaboli tormenta uitæ præponantur, & ipſa denique mors ſuper omnia auidius appetatur. Cuius adeo admirabilis, atq. omnino inuſitatæ rei ſi exẽpla quærimus, ecce quod nobis ſe ſe obtulit ſanctũ diui Laurentij templum, ubi beato protomartyri Stephano mortem non refugienti, ut ueram inueniret uitam, dulces eſſe uidemus lapides, illiſque quaſi
Act.7.g. ſertis redimitum, ac ſi ſomnum caperet, cum ſanguine uitam profudiſſe: & beatũ Laurentium candentes carbones non ne audiuimus tyranno dicentem refrigerationem ſibi præſtare & clariſsimi diei inſtar, noctem, qua tormentis ſubiiciebatur, illuceſcere? Hippolyto indomitis equis raptato nonne inſtar mollium uiolarum, uernarumque roſarum fuerunt



fuerunt cardui, & tribuli? cæteris uero qui in eccleſia, & in Cyriacæ cœmeterio ſepulti iacent, mori uitam, pati uoluptatem, famem epulas nonne fuiſſe nobis demonſtrarunt, cum & iniectæ catenæ, aurei torques, carnifices deliciarum miniſtri, ardentes laminæ, uiris thoraces, mulieribus pulchritudinis ornamenta facta ſint? nihil horum uerentibus, dũmodo Chriſtum lucrifacerent; cum præclarum, & glorioſum exiſtimarent hæc pro illo pati, ſcirētque ſalutem noſtram propinquiorem eſſe, quam Rom.13.c
cum credidimus. Et ideo hinc non longe ad eccleſiam ſanctæ Mariæ Maioris peruenitur, quam ultimã non dignitate, ſed myſterio potius oſtendimus quaſi lapſis requiem, & portum nauigantibus a nobis relictam eſſe. Et ſi quamuis Lateranenſem eccleſiam cæleſtis Hieruſalem figurã in terris eſſe dixerimus, ueruntamen cum ſanctum Ioannem Baptiſtam ſanguinem ob ueritatem fundentem, capite abſciſſo mortuum uidemus; alterum uero euangeliſtam in exilium proiectum, & in feruentis olei dolium miſſum legimus, nonne aliquid humani in ea inueniri fatendum eſt? At in uirginis templo quid non cæleſte conſpicimus? Mariam Dei matrẽ ſuper omnes angelorum choros exaltatam ueneramur, mirabili quodam modo cum corpore in cælum aſſumptam, nihil in ſe non diuinum, non ſanctum habentem, undique æterni ſplendoris luce fulgentem: loci autem ſanctitatem nonne angelorum uoces commendarunt? Quid nobis nunc ſupereſſe credimus in hac promiſsionis terra, in hac noua Bethleem, in hac panis domo, niſi ſtabulum illud

illud adire in quo natus eſt ille panis, qui de cælo deſcendit, ubi aliquando diuerſata eſt ſanctiſsima uirgo. Verbum, quod erat in principio apud Deũ, & Deus erat uerbum, per quod facta ſunt omnia, ſine quo factum eſt nihil, pro nobis caro factum
Matt. 2.b apparuit; ubi, ut ex uerbis diui Hieronymi accepi-
Lucæ 2. b. ſtis, ſtella deſuper fulxit, Magi adorarunt, paſtores, choros Angelorum Deum laudantium, gloriam in excelſis Deo canentium, hominibus pacem annunciantium audierunt: ubi agnouit bos poſſeſſorem
Iſaiæ. 1.a ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Si cupimus, ut illud in nobis impleatur, quod apud prophetam
Iſaiæ 32. d ſcriptum eſt; beatus, qui ſeminat ſuper aquas, ubi bos, & aſinus calcant; illuc (inquam) adeamus, & cum Magis uenientes a longinquis regionibus; quid enim longius a Deo nos diuidit, quam peccatum; cum illis etiam tria myſtica offeramus munera Deo gratiſsima. Primum igitur munus, pro auro ſit charitas, qua omnia ſufferamus, omnia ſperemus, ac credamus. Secundũ pro ture ſit oratio, quæ mente nos eleuat, qua in cælum uſque penetremus & cum Deo loquamur. Tertium pro myrrha noſtrorum erratorum pænitentiam offeramus, ſine qua peccatoribus ex hac uita diſcedentibus clauditur cælum, inferorum locus miſeris præparatur. Atque ita completo, ad exitumque perducto adeo ſancto, pioque uiſitandarum ſeptem eccleſiarum itinere apud ſanctam Bethleem, ſicut dum hic ſumus a Deo datum eſt nobis Romæ morantibus, ad illamque uenientibus non exiguos fructus a Chriſti ſanguine, & matris eius, ſanctorumque omnium



nium meritis percipere, ita poſt hanc uitam in cælo, in altera quaſi Ephrata uberrima regione, cuius fertilitas Deus eſt, dignemur, quæ nunc per ſpeculum in ænigmate uidemus, facie ad faciem uidere, illiſque perpetuo frui. 1.Cor.13.d

F I N I S.

RELIQVIAE

# SEPTEM VRBIS ECCLESIARVM.

## *RELIQVIAE S. PETRI In Vaticano.*

PARTES corporum beatorum apoſtolorū Petri, & Pauli ſub maiori altari.

Crux donata a Conſtantino imperatore S. Silueſtro papæ, in qua intus ĩcluſa eſt alia parua crux aurea cū portione ligni ſanctiſsimæ dominicæ crucis.

Sudarium D. Noſtri Ieſu Chriſti, in proprio ciborio, ſuper eius altare.

Lancea, qua eius latus fuit perforatum, in eodem loco.

De lapide ad quem fuit flagellatus Chriſtus

Corpora ss. apoſtolorū Simonis & Iudæ in muro ſupra altare ſacramenti.

Corpora ss. decem primorum pont. Romanorū.

Lini.

Cleti.

Anacleti.

Euariſti.
Xyſti.
Theleſphori.
Higini.
Pij.
Eleutherij.
Victoris.
Corpora ss. Fabiani, &
Xyſti pont. & martyrum.
Corpora ſanctorum
Gorgonij.
Tiburtij martyrum.
Corpora ss. Proceſsi, &
Martiniani martyrum.
Corpus s. Gabinij marty.
Corpus s. Ioannis Chryſo-
ſtomi epiſcopi Conſtan
tinopolitani, & confeſſo
ris in Sacrario.
Corpus s. Gregorij papę, &
doctoris ſub eius altari.
Caput s. Andreæ apoſtoli,
in operculo eiuſdem al
taris.
Capita ss. Lucę euãgeliſtę.
Sebaſtiani martyris.
Iacobi interciſsi, &
Magni confeſſoris in Sacra
rio.
Brachium ſancti Andreæ
apoſtoli.
Spatula s. Stephani proto-
martyris.
Brachiũ s. Ioſeph decurio-
nis Arimathiæ, &
Guglielmi.
Brachium s. Longini mar-
tyris.
Guttur s. Blaſii epiſcopi, &
martyris.
Reliquiæ ss. quatuor Coro
natorum, &
Domitiani martyris.
Reliquiæ ss. Clementis.
Euariſti
Zephyrini
Fabiani
Lucij
Dionyſij
Caij
Silueſtri
Damaſi, &
Gregorij romanorum põ-
tificum.
Reliquiæ ſanctorum Cy-
priani, &
Ianuarij epiſcoporum
Pygmenij presbyteri, &
Nemeſij diaconi martyrũ.
Traſonis.
Chryſanti.
Quirini.
Militij.
Trophini.

Calocerij



Calocerij.
Thraſitij.
Hippolyti.
Cyriaci.
Largi.
Smaragdi.
Acheloi.
Pamphili.
Pauli.
Proiecti.
Seleuci.
Optati.
Polychronij.
Geminiani.
Leonis.
Philippi.
Innocentij.
Thibei.
Churadi militis.
Bonifacij.
Theodori martyrum, &
Halibundij monachi, &
confeſſoris.
Antonij.
Dẽs s. Leodegarij martyris.
Digitus auricularis s. Lucę
Euangeliſtæ.
Humerus s. Chriſtophori
martyris.
Caput s. Mennę martyris.
Caput s. Damaſi papæ, &
confeſſoris.
Pars brachij s. Chriſtopho-
ri.
Reliquiæ ss. Alexij.
Philippi, & ex XI. miliũ
martyrum.
Euſtachij abbatis Lexomẽ.
Simplicij.
Valerij.
Vrſi abbatis.
Thomæ de aquino.
Dens s. Deſiderij epiſcopi,
& martyris.
Loricę s. Guglielmi.
Reliquiæ S. Feliciani mar-
tyris.
Pauli primi hęremitę.
Geminiani.
Nerei.
Archilei.
Pinci.
Martini.
Vincentij.
Iuſtini.
Feliciſsimi.
Agapiti.
Marcelli martyrum.
Luciani diaconi.
Donini.
Sauini.
Ianuarij martyrum.
Blaſij.
Valentini.

Reliquiæ x. miliũ, & xl. martyrum.
Digiti s.Petri apoſtoli.
Crucis s. Andreæ.
Reliquiæ ſanctarũ Mariæ Magdalenæ,
Catharinæ,
Brachium s. Dariæ.
Mariæ Aegiptiacæ.
Hilariæ.
Domicillæ & ſociarum.
Artemiæ.
De oſsibus s.Balbinæ.
Sophiæ.
Piſtis.
Helpis.
Agapes.
Triphoniæ.
Cyrillæ.
Coronæ.
Agnetis.
Luciæ.
Claræ.
Theodoræ.
Colombæ.
Bibianę.
Suſannę.
Brachium, & pars capitis s. Agathæ uirginis & martyris.
Ruffinę uirginiis, & martyris.
Cathedra ſancti Petri apoſtoli.
Forcipes ferreę, quibus ss. martyres cruciabantur, uiſu, ueneratione digniſsimę.
De uelo & cute s. Conſtantię uirginis filię Conſtãtini.
De terra loci, ubi Chriſtus apparuit Marię Magdalenę.
De cunabulo Chriſti.
Fruſtum crucis,
De tunica s. Bernardini.
Reliquię quinq. miliũ uirginum.
Petronillę.
De ſacco, & ueſte s. Iacobi.
De ſtola s. Dominici.
Reliquię s. Laurentij martyris.
De lapide ſupra quẽ s. Laurẽtius cõcrematus fuit.
De tunica s. Franciſci.
Inter portam Romanã & Guidoneam in pariete eſt affixus lapis ſupra quo multi ſancti martyrio affecti ſunt.
Inter Guidoneam & portam ſanctam in pariete affixus



affixus eſt porfireticus lapis, ſupra quo, ut ex inſcriptione liquet, fuerũt diuiſa a B. Silueſtro corpora ſanctorum apoſtolorum Petri, & Pauli.
In die Aſcenſionis D. N. Ieſu Chriſti ſuper maiorẽ eccleſię portam ponitur uetuſtiſsim⁹ pãnus quo multi martyres (ut fertur) ſepulti fuerũt, ibiq. uſque ad Calendas Auguſti appenſus manet.
Et multæ alię reliquię.

*Quæ reliquię in eccleſia S. Petri populo oſtẽdantur & quibus diebus.*

Caput s. Andreę apoſtoli oſtẽditur Dominica iij. Ianuarij, & in feſto eius.
Sudarium oſtẽditur dominica proxima s. Antonij abbatis mẽſis Ianuarij.
Feria v. vj. & ſabbatho hebdomadę ſanctę, & ĩ die paſchatis.
In die Aſcenſionis, & Feria ij. poſt Pentecoſtem.
In anno Iubilei ſingulis dominicis, & feſtiuitatib⁹, & feriis vj. Martij.
Lãcea qua Chriſtus in cruce transfixus eſt oſtenditur feria vj. maioris hebdomadę ſanctę.

## *Reliquiæ Eccleſiæ ſancti Pauli.*

PARTES corporum BB. apoſtolorum Petri, & Pauli ſub maiori altari una cum corpore s. Anaſtaſij.
Corpus s. Timothei martyris, ſub eius altari.
Corpora ſanctorum Celſi, Iuliani, & Baſiliſſę martyrum in eorũ ſacello.
Corpora quinque ss. Innocentium ſub eorum altari.
Multa ſanctorum martyrũ corpora in cœmeterio beatę Lucinę quorũ nomina ignorantur.
In ſacrario eiuſdem eccleſię ſunt hę ſanctæ reliquiæ.

De ligno ſanctę, & uiuificę crucis in cruce argentea.
Brachium cum police ſanctę Annę matris B. uirginis Marię incluſum brachio argenteo.
Pars capitis s. Stephani protomartyris incluſa tabernaculo argenteo.
Pars capitis s. Ananię diſcipuli domini, qui B. Paulum apoſtolum baptizauit.
Brachia ſanctorum Iacobi maioris, & Iacobi minoris.
Brachium ſancti Nicolai epiſcopi.
Brachiũ ſancti Alexij confeſſoris.
Spatula ſancti Dionyſij.
Catena, qua s. Paulus apoſtolus cinctus fuit.
Baculi fruſtum cum quo orbem terrarum peragrauit S. Paulus.

*Tabernaculum ęneum cum reliquijs ſanctorum*

Innocentium.
Matthiæ apoſtoli.
Sebaſtiani.
Felicis papæ.
Sergij, & Bacchi.
Chryſanti, & Dariæ.
Barbaræ, & Nymphæ.
Fruſtum crucis. s. Andreæ apoſtoli.

*Capſula cum reliquijs ſanctorum*

Euentij presbyteri, & martyris.
Stephani pape.
Sebaſtiani.
Nicolai epiſcopi.
Quirini epiſcopi.
Primi, & Feliciani.
Pancratij.
Ceciliæ.
Sophiæ, & aliorum.

*Alia capſula cum reliquijs ſanctorum*

Marcelli papæ martyris.
Nerei martyris.
Archillei martyris.
Dariæ martyris.
Reliquiæ ſanctorum Andreę.
Bartholomæi.

Matthię



Matthiæ apoſtolorum.
Lucæ euangeliſtę.
Xyſti papæ.
Dionyſij.
Laurentij.
Sebaſtiani.
Blaſij epiſcopi.
Gordiani.
Benedicti.
Gregorij papæ.
Vincentij.
Hermetis.
Celeſtini.
Luciæ.
Hilariæ uirginis, & aliarum.

*Reliquiæ in eccleſia ſanctorum Vincentij & Anaſtaſii martyrum ad tres fontes, ſiue ad aquas ſaluias.*

Capita s. Anaſtaſij thecis ligneis deauratis.
Sancti Zenonis hoc in loco martyrio coronati.
Sancti Vincentij.
Columna ſuper quam ſancto Paulo apoſtolo caput amputatum fuit.
Et in oratorio ſcalæ cæli ſubtus altare reliquiæ decem milium C.C.C. & trium martyrũ qui cũ beato Zenone pro Chriſti fide eo in loco glorioſe occubuerunt.

## *Reliquiæ Eccleſiæ Sancti Sebaſtiani, via Appia.*

VNA de ſpinis coronæ qua fuit coronatus D. N. Ieſus Chriſtus.
Reliquiæ S. Petri apoſtoli, ſcilicet.
Digitus.
Dens.
Coſtę pars, & alia quædam.
Dens s. Pauli apoſtoli.
Brachij s. Andreæ apoſtoli fruſtum.
Caput, & brachium s. Fabiani papæ & martyris.
Capita ss. Calliſti Stephani pontificum.
Capita ss. Nerei.

 Archillei

Archillei.
Acoriſti.
Valentinæ, &
Lucinæ martyrum.
Brachium s. Sebaſtiani &
Columna, qua alligatus fuit dum ſagittaretur.
Ferrum unius ſagittæ in eũ iaculatæ.
Reliquiæ aliæ s. Fabiani papæ.
Sebaſtiani martyris.
Stephani papæ.
Acoriſti martyris.
Calix plumbeus cum cinere & oſsibus
Sancti Fabiani.

## Reliquiæ Eccleſiæ ſancti Ioannis Lateranenſis.

HAEC baſilica ſancti Saluatoris domini noſtri Ieſu Chriſti, ſanctique Ioannis Baptiſtæ, atque B. Ioannis euãgeliſtæ, his ſacroſanctis, ac uenerabilibus inſignita conſiſtit reliquijs.

Altare ligneum, quod ſancti Dei põtifices, & martyres ab apoſtolorum tẽpore habuerunt; in quo per cryptas, & diuerſa latibula miſſas celebrabant.
Menſa Domini, in qua Chriſtus cænauit cum diſcipulis ſuis in die cænę.
Sub altare ſunt de sãguine, & aqua de latere Chriſti ampullæ duæ.
De cuna Chriſti.
Tunica inconſutilis, &
Purpureum ueſtimentum eius.
De quinque panibus ordeaceis.
De cineribus, & ſanguine S. Ioannis Baptiſtæ, &
Cilicium eius de pilis camelorum.
De manna ſepulchri s. Ioannis euangeliſtæ, &
Tunica eius: et
Pars



Pars catenę, cum qua ligatus uenit ab Epheſo.
Sub iſto nempe altari eſt arca fęderis, in qua ſunt duæ tabulę teſtamenti.
Virga Moyſi, &
Virga Aaron.
De panibus propoſitionũ.
Hanc autem arcam cum candelabro, & his quæ dicta ſunt cum quattuor præſentibus columnis Titus, & Veſpaſianus a Iudæis aſportari fecerũt de Hieroſolyma ad Vrbem, ſicut uſque hodie cernuntur in triũphali fornice, qui eſt ſupra ecclesiam ſanctę Marię nouę, & ob uictoriam, & perpetuum .......
reliqua nõ poſſunt legi.
In marmoreo operculo ſuper altare s. Marię Magdalenę ſunt hę reliquię.
Caput s. Zacharię patris s. Ioannis Baptiſtę in theca argentea.
Caput s. Pancratij martyris in alia theca ex argento.
Catena, qua B. Ioãnes euãgeliſta uinctus de Epheſo ad urbem adductus eſt.
Vas quo idem ſanctus uenenum bibit, & illi nihil nocuit.
Eiuſdem ſancti linea tunica.
Theca argentea plena oſsibus s. Marię Magdalenę.
Spatula s. Laurentij martyris.
Interula linea D. N. Ieſu Chriſti, quam ei B. uirgo fecit, in capſula argẽtea.
Linteus, quo Chriſtus apoſtolorum pedes terſit.
Pars harundinis, qua percuſſus fuit in capite in domo Pilati.
Forfices, quibus B. Io. Euãgeliſta attonſus fuit.
Velum, quo uelatum fuit corpus s. Saluatoris in cruce pendentis.
Sudarium, quo caput Chriſti in ſepulchro poſiti inuolutum fuit.
Cineris s. Ioannis Baptiſtæ.
Dens s. Petri apoſtoli.
Vas in quo eſt ſanguis, & aqua, quę fluxerunt de latere D.N. Ieſu Chriſti.
Fruſtulum

Fruſtulum crucis Chriſti.
Plurimę alię ſine nomine ſanctorum reliquię.
In ſacrario eſt capſa lignea cum multis ſanctorum ſine nomine oſsibus, puluere, & cineribus.
Caput ſancti Gordiani & Cranium s. Epimachi, & alię multę ſanctorum reliquię.
Reliquiæ quæ in oratorio eſſe dicuntur.
In ſacello ſancta ſanctorũ, quod s. Laurentij appellatur, in quod mulieres numquam ingrediũtur ſunt infinitę reliquię, a Leone x. uiſę & multis aſtantibus, ex duabus feneſtrellis erutę, & oſtēſę & iterum in eodem locatę.
In quarum prima a latere dextro, ſunt multę reliquię ĩ uaſis chryſtallinis uitreisque compoſitę.
In ſiniſtra uero eſt caput humanum integrum cum alijs multis incognitis reliquijs.
Sub altari eſt capſa cypreſsina multis clauibus clauſa a Leone III. papa facta, hiſque litteris aureis ornata SANCTA SANCTORVM.
Intra quam ſunt aliæ plures capſulę, & tabernacula reliquijs plena.
In his parua capſula argentea deaurata ad modum crucis, in cuius medio eſt crux aurea.
Alia capſula argentea deaurata cum alia cruce auri puri.
Alia capſula argẽtea deaurata.
Alia capſula argentea cum modico ligni s. crucis.
Sub ipſo altari eſt caput s. Anaſtaſij cum alijs multis ſanctorum oſsibus.
Alia capſula eburnea ad formam cucurbitę.
Vas cryſtallinum cum parua arcula.
Alia capſula eburnea cum multis ſanctorum oſsibus.
Alia capſula argẽtea gręco opere cęlata, circumligata cordula alba cũ ſigillo



lo ĩ quo ſculptus ē puer hamo piſcans a Nicolao III. facta, in qua eſt caput s. Praxedis integrũ cum alijs multis ſanctorum oſsibus.
Capſula argentea ab Honorio III. facta cum capite s. Agnetis.
Alia capſula argentea cum ampulla plena ſanguine ſanctorum martyrum.
Alia arcula ad modum crucis plena reliquijs.
Vas ęneum cum multis reliquijs
Capſula ex ebano.
Duo lignea uaſcula.
Pyxis lignea cum alijs plurimis ligneis uaſculis, & capſulis, & aliquot tabernaculis, & alijs uaſculis, pyxidibus, & arculis magno numero reliquiarum plenis.
Aliquot tubera e ſerico pãno reliquiarum plena.
Duę uetuſtiſsimę tabulę, cum apoſtolorum Petri & Pauli figuris.
Multi panniculi ſanguine ſanctorũ martyrũ tincti.
Alia capſula lignea, in qua ſunt tres Agnus Dei e cera, & multę ſine nomine reliquię.
Tres panni albi cum oſsibus ſanctorum.
Pannus rubei coloris cum cruce ſigillatus.
Plures ſacculi, capſula, arculę, & pyxides reliquiarum plenę; quarum nomina incognita ſunt, & permultę alię.
Reliquię oſtenduntur ſemel in anno, in die Paſchatis.

## *Reliquiæ Eccleſiæ ſanctæ Crucis in Hieruſalem.*

IN ALTARI maiori in concha e lapide Lydio iacēt corpora ſanctorũ Ceſarij, & Anaſtaſij.
In eminenti loco reliquiarum

rum ſeorſum.
Tres fruſtulę crucis D. N. Ieſu Chriſti.
Titulus crucis Chriſti cũ litteris latinis, gręcis, & hebraicis.
Vnis ex clauis, quo Chriſtus cruci affixus fuit.
Duę ſpinę e corona eiuſdẽ.
Vnus ex triginta argenteis, quo uenditus fuit Chriſtus.
Tranſuerſę crucis pars boni latronis.
Digitus s. thomę apoſtoli.
Quę omnia argenteis thecis incluſa ſunt.
In eodem oratorio eſt arcula reliquiarum plena cum hoc indice.
Lapis ſepulchri Chriſti.
De monte caluario.
De ſepulchro B. uirginis.
De loco ubi Chriſtus aſcẽdit in cęlum.
De loco ubi crux Chriſti reperta fuit.
De capite ſanctorum
Ioannis Baptiſtę,
Clementis papę, &
Praxedis uirginis.
Reliquiæ s. Catharinę Seneñſis.
Dens ss. Petri apoſtoli, &
Gordiani martyris.
De oſsibus ss. Ioannis Baptiſtę.
Bartholomęi.
Simonis apoſtolorum.
Innocentium.
Fabiani.
Sebaſtiani.
Thomę archiepiſcopi Cantuarienſis.
Hippolyti.
Agapiti.
Epiphanij.
Feliciſsimi.
Chryſogoni.
Dionyſij, & ſociorum.
Marię Magdalenę.
Anaſtaſię.
Pudentianę.
Agnetis.
Euphemię uirginũ, & martyrum.
Reliquiæ ss. Petri & Pauli apoſtolorum.
Iacobi apoſtoli fratris domini.
Vrbani, &
Xiſti II. pontificum.
Coſmę, &
Damiani martyrum.



Nicolai epiſcopi.
Sabini.
Reguli.
Nerei.
Hermetis martyris.
Benedicti, &
Hilarionis abbatum.
S. Helizabeth reginę Vngarię.
S. Brigidę uirginis.
SS. Iulianę.
Feliculæ.
Catherinę, &
Margaritę uirginũ & martyrum.
Alię cxxxvij. thecę reliquiarum ſanctorum, quorũ nomina ob uetuſtatem ignorantur.
In ei⁹ thecę medio eſt imago Chriſti muſiuea, quã fuiſſe ſancti Gregorij papę ferunt.
In ſacello s. Helenę ſubterraneo, quod xx. die Martij tantum mulieres ingrediuntur, ſunt hę reliquię.
Funis, quo Chriſtus alligatus fuit.
Spongia, qua felle, & aceto potatus eſt.
Fruſtum eius ueſtis.
Capilli, & pars ueli B. uirginis.
Veſtis s. Ioannis Baptiſtę.
Pars lacerti ss. apoſtolorũ Petri, & Pauli.
De adipe S. Laurentij.

## *Reliquiæ S. Laurentij extra urbis mœnia.*

SVB altari maiori, corpora ss. Laurentij diaconi, & Stephani protomartyris, tyrum thecis argenteis incluſa.
Capita ſanctorum Hippolyti ſine mento, & dentibus, & Romani martyrum thecis argenteis incluſa.
Caput, & brachium s. Iuſtini martyris.
Pars capitis s. Balbinę uirginis.
Brachia tria ſanctorũ Ioannis

nis martyris.
Sanctę Petronillę.
S. Apollonię.
In uaſculo cryſtallino reliquię
SS. Stephani.
Laurentij cum eius adipe, & cinere.
Digitus ſancti Benedicti abbatis.
Reliquię ſanctorum Leonardi.
Theodori, & Sabinę.
De capite ſanctę Barbaræ.
Dens s.Petri apoſtoli.
Reliquię ss. Innocentium.
Thomę archiepiſcopi Cantuarienſis.
Spinę coronę Chriſti.
Paruum fruſtulum eiuſdē ſanctiſsimę crucis.
De ligno menſę, ſuper quã cum XII. apoſtolis cęnauit.
De lapide ſepulchri Chriſti.
De lapide ſepulchri s. Marię uirginis.
De eiuſdem ueſtimentis.
De ueſtibus, & capillis s. Marię Magdalenę.
De uelo ſanctę Trãquillę.
Vas ęneum, quo s. Laurētius Chriſtianos baptizare ſolebat, in his Hippolytum, & familiam eius, Lucillum Romanum, & alios.
Lapis cui corpus s. Laurentij iam mortui impoſitum fuit
Nomina aliorũ martyrum qui ĩ hac eccleſia ſepulti ſunt, habentur pag. 88.

## Reliquiæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Maioris.

IMAGO beatiſsimę uirginis Mariæ.
In altari ad Pręſepe Chriſti pręſepium.
Sub altare maiori corpus s. Matthiæ apoſtoli.
Prope præſepe ſub altare ſui nomini ſacro corp⁹ s. Hieronymi presbyteri eccleſię doct. eximij.
In



In marmoreo operculo altaris ſanctiſsimi ſacramenti, quod reliquiarũ dicitur eiuſmodi reliquiæ conſeruantur, & ſtatis diebus populo oſtenduntur.
Caput s. Vibianæ uirginis, & martyris.
Duo digiti, mentũ, & alię reliquiæ s. Anatolię uirginis, & martyris.
De cingulo, & uelo s. Scholaſticę, ac
De reliquiis s. Catharinæ.
Sanctæ Euphemiæ.
Sanctæ Annæ, &
De zona, & lecto B. Marię uirginis.
Dalmatica, qua indutus erat s. Thomas Cantuarienſijs archiepiſcopus, quando interfectus eſt.
De brachio.
Sanguine.
Cerebro.
Cilicio.
Cuculla, & alijs reliquiis eiuſdem s. Thomę archiepiſcopi Cantuarienſis.
Planeta.
Stola, &
Manipulus, quibus celebrabat Sanctus Heronym⁹ doctor in capella præſepis. D. N. Ieſu Chriſti in Bethleem.
